DE CURA STATUARUM APUD GRAECOS.

SCRIPSIT

ERNESTUS KUHNERT.

BEROLINI 1883.
APUD S. CALVARY ET SOCIUM.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT, SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS (CARL JANKE).

GUSTAVO HIRSCHFELD

sacrum.

Nemodum ad nostra tempora de statuarum apud Graecos cura quaerere operae iudicavit pretium. nec casu fortasse hoc factum est; pleraque enim, quae de hac cura memoriae sunt prodita, in inscriptionibus latent, et in has ne inquireret nescio an nemo ea re deterritus sit, quod cotidie fere novi reperiuntur tituli, qui aliquam huic quaestioni afferunt materiam. nihilominus hanc quaestionem instituere non dubitavi, quia vel nunc plurimi sine dubio nobis noti sunt tituli, ut in universum recte de hac re iudicare liceat, quamvis singula novis inscriptionibus aut refelli aut augeri possint.

duas autem in partes totam hanc quaestionem esse dividendam, statim elucet: in priori enim qui statuis et perficiendis et collocandis providerint Graeci, quomodo conservandis vel reficiendis consuluerint his signis in altera quaerendum erit.

De curatoribus statuarum apud Graecos.

Hoc nomine eos significamus, quibus operae erat, ut statua quaedam loco constituto collocaretur. in inscriptionibus graecis, quae solae fere hic contemplandae sunt, quia ex litteris graecis de curatoribus perpauca discimus, hae ad eos pertinent formulae[1]):

saepissime legitur ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως (C. I. G. II 2217 — 3430) sed interdum etiam ἐπιμελησαμένου (Bulletin de corresp. hell. II p. 523, 6 — cfr. C. I. G. II 2802) et ἐπιμελητεύοντος (C. I. G. I 1713 — II 2371 — Ἀθήν. V, 9 — V, 323) ὑπὸ (τὴν) ἐπιμέλειαν (non nisi Megaris C. I. G. I 1074—1078 — Lebas II 48—49—50) semel δι' ἐπιμελείας (C. I. G. III 4150 b. add.). persaepe etiam dicitur προνοησαμένου τῆς ἀναστάσεως (ut in C. I. G. II 2929—3421 — Revue archéol. 28, 110 — Bull. I, 85, 24) — προνοίᾳ (C. I. A. III 635) — διὰ τῆς προνοίας (C. I. A. III 556) — τὴν πρόνοιαν ποιησαμένου (C. I. G. II 2457) — ἐπισκοπούσης (sc. φυλῆς Leb. III 2308). non raro sola ‚διά' praepositione idem significatur (Bull. IV, 442 — C. I. A. III 472—475 — C. I. G. I 1323), ut per praepositione apud Latinos (C. I. A. III 471). iungitur etiam διὰ ἐπιμελητοῦ (C. I. G. I 340—C. I. A. III 473); bis ὑπὸ ἐπιμελητὴν invenitur (Bullet. V, 444 et 445). interdum autem curator ἐπιστάτης vocatur (Leb. II 116a — C. I. A. I 318 — Rangabé ant. hell. 689) eodemque sensu ἐπιστατεῖν verbum adhibitum est in schol. in Aristoph. Pac. 605. de ἐργεπιστατήσαντος voce postea plura exponemus.

munus autem curatorum plerumque cura ἀναστάσεως dicitur (C. I. G. II 2787—2930 b add.) vel ἀναθέσεως (C. I. G. I 435); recentissimis demum Graeciae temporibus etiam ἀρχῇ voce hoc

[1]) usitatissimas modo aut singulares quasdam hic afferam.

munus significatum esse videtur (Bull. 1882 p. 184, 185; cfr. Köhler, mitt. des athen. inst. III 234 not. 3.) multo minus saepe pleniorem legimus formulam κατασκευῆς καὶ ἀναστάσεως (C. I. G. II 2789—2264 p, add. 3183 — III 3884) vel κατασκευῆς καὶ ἀναθέσεως (Bull. III 151) ποιήσεως καὶ στάσεως (C. I. A. II 312) — ποιήσεως καὶ ἀναθέσεως (C. I. A. II 331).

Iam vero, quoniam quae pertinent ad curatores formulas contemplati sumus, accuratius quae de iis prodita sint memoriae videamus. tres autem in partes dividere hanc quaestionem animum induximus, ita ut in prima de publicis curatoribus, in altera de privatis, de sacris in tertia exponatur.

I. De curatoribus publicis.

Si primum de officiis eorum quaerimus, Graecis et Romanis in more fuisse praemittendum est, ut curam opera publica perficiendi ad cives quosdam deferrent. de qua re Gilbert. in antiq. publ. Gr. (p. 249) haec dicit: diese (curatores scil.) hiessen ἐπιστάται τῶν δημοσίων ἔργων, welche zur beaufsichtigung der staatsbauten in wechselnder anzal wol aus allen Athenern erwält wurden, wärend die technische leitung einem sachverständigen zufiel. idem fere in signis perficiendis mos erat. statuarum igitur ut aliorum operum publicorum curatores extraordinarii magistratus erant, certis temporibus certisque condicionibus ex senatus populique decreto[1]) electi; sin perfecerant, quae ad eos erant delata, munere se abdicabant.

ac primum quidem statuae perficiendae consulere eos oportebat. quod ita faciebant, ut artifici cuidam opus conducerent exsculpendum. quae conductio[2]) litteris mandata est, id quod satis testatur Demosthenes in oratione quam habuit de corona (p. 268 cfr. Köhler ges. schriften VI p. 347); num semper, ignoramus, sed in publicis quidem operibus locandis hunc morem viguisse probabile est. curatores propterea cum artificibus convenire necesse erat[3]),

[1]) C. I. A. II 251—300—331 — schol. in Aristoph. Pac. 606 — Newton discov. p. 763 —

[2]) quam ἔκδοσιν vocabant Graeci, cfr. Diog. L. V, 15— Polyaen. VI, 51— C. I. G. II 2347 c — Rev. 1865 p. 299—

[3]) fortasse ἐν δικαστηρίῳ, cfr. Dareste in Annuaire de l'association des études grecques XI p. 109.

videnturque ei plerumque artifici opus elaborandum conduxisse, qui optime et vilissimo pretio se id effecturum esse polliceretur[1]). statuam deinde ab artifice perfectam curatores inspexerunt; si probata est, pretium antea constitutum solverunt; et tum aut ab artifice fortasse ipso aut ab hominibus ad hoc conductis[2]) statuam constituto loco poni curaverunt. jocosum prorsus et singulare est, quod apud Pausaniam VI, 14, 2 de Milone legimus athleta, qui, ut corporis sui robur quantum esset, demonstraret, statuam sibi decretam umeris imposuit nulloque alio subveniente in Altim ipse portavit.

curatores quin pro munere cui praeerant pecunias a republica nunquam acceperint, dubitare non licet: hoc enim non factum esse vel inde apparere nobis videtur, quod plerumque ad viros summis in republica muneribus fungentes haec cura velut honor delata est. sumptus autem ad signum et perficiendum et collocandum necessarios respublica solvit. quas pecunias curatoribus magistratus distribuerunt aerario praepositi, velut quaestores C. I. G. I 100—108—120— Rang. 689— οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει C. I. G. I 107—112—113— C. I. A. II 309—316 — στρατηγοὶ οἱ ἄρχοντες Rev. 1865 p. 300 (Rhodi) — ἐξεταστὴς καὶ τριττύαρχοι (de quibus vid. Gilbert l. l. p. 238) C. I. A. II 300 — Rang. 2298 — acta m. Acad. Berol. 1863 p. 265 — aut qui in quaque civitate pecuniis publicis providebant. curatores inde artifici pretium de quo cum eo convenerant, solverunt; hoc autem qui fecerint, non satis constat. plerumque vero in operibus publicis hunc morem adhibitum esse discimus. decima pars pretii constituti cautelae loco a curatore retenta est; reliquae autem pecuniae dimidium statim ex locatione artifici solutum, quadrans deinde tertia operis parte perfecta; quod restabat, accepit, cum aliam operis tertiam partem exegisset: decima denique illa pars tum demum ei contigit, cum opus prorsus absolutum atque a curatore probatum esset.[3]) singulae pretii partes num semper ut

---

[1]) Plut. mor. 498 E — Friedl. sitteng. III 257. not. 1.

[2]) C. I. A. I 319: μισθὸς ἐσαγαγόντ[ι] τὼ [ἀγ]άλματε καὶ στήσαντι ἐν τῷ νεῷ.

[3]) vid. Dareste annuaire XI, p. 109 — Fabricius de archit. gr. Berol. 1881 p. 27. quae alia ad curatores pertinent a me omissa, in huius opusculi parte II videantur.

exposui solutae sint, dubium esse potest; decima vero totius pretii pars semper cautelae loco a curatore retenta esse videtur. ne autem in hac re tardiores essent curatores, certas iis multas ex legibus constitutas esse comperimus, quas ὑπερήμεροι (h. e. si singulas pretii partes suo tempore solvere artificibus neglexissent) pendere deberent. quamquam autem de statuarum curatoribus nihil huiusmodi memoriae proditum est, tamen quin eadem in hac re valuerit ratio, non est quod in dubitationem vocemus; eundem enim in omnibus operibus publicis modum adhibitum esse valde probabile est.

interdum etiam statua non uni modo sed pluribus artificibus conducta est, h. e. alii ornamenta vel cetera huius generis quae ad signum pertinebant perfecisse videntur. quod apparet e. g. ex C. I. A. I 319 titulo, in quo merces descripta est eorum qui ornamenta clipeo simulacri affigenda et qui πέταλα paulo postea locata fecissent: itaque plurativum ἐργασάμενοι legimus. cfr. etiam Friedl. sitteng. III, 257.

res autem ad statuam perficiendam necessarias atque collocandam utrum artifices an curatores emerint, pro certo vix potest affirmari. in titulo autem modo laudato artificibus res eius generis oblatae esse videntur: velut in capite IV et V μόλυβδος τῷ ἀνθέμῳ καὶ τοῖς δεσμοῖς τῶν λίθων τοῦ βάθρου et ξύλα καὶ ἄνθρακες τῷ μολύβδῳ commemorantur, quae iis tradita sunt, qui basi in templo iam antea positae simulacrum pilis plumbeis liquefactis affigebant. itemque in aedificiis exstruendis plerumque curatores obtulisse omnia ad id necessaria artificibus comperimus (Fabric. l. l. p. 26). non est igitur, cur negemus, statuarum quoque artificibus non marmor vel aes modo sed etiam minores illas res ad signum perficiendum necessarias traditas esse a curatoribus, qui praesente fortasse atque probante artifice emere omnia solebant.[1])

ad signum deinde in templo collocandum aliis etiam apparatibus opus erat, de quibus in eadem illa inscriptione plura comperimus. ex capite enim octavo efficitur, magnam ligni copiam emendam fuisse, unde scalae construerentur, per quas et ipsa simulacra la-

[1]) accedit, quod de pictoribus simile proditum est memoriae: nam pretiosissimos quidem colores praebitos iis esse ex Plin. h. n. 35, 30 et 40 efficitur.

pidesque ad basim necessarii in fanum afferrentur. ibidem etiam ἕρυμα commemoratur, h. e. septum quoddam, quo cingebatur simulacrum (vid. Paus. V, 11, 4); hoc autem nisi in pretiosissimis simulacris adhibitum non esse videtur. his quoque omnibus rebus curatorem signi providere oportebat. saepissime autem, praecipue cum sub divo signum esset collocandum, tanto maximique pretii apparatu opus non erat. tum autem basis sola non sufficiebat: statua enim paulatim in humum imbribus emollitum delapsa esset. itaque fundamento consulendum erat in humum demittendo, cui imposita basis considere non posset.[1] curatorem autem semper etiam basi et perficiendae[2] providisse et collocandae et per se verisimillimum est satisque demonstratur C. I. G. III 3884 et Leb. II 116a titulis.

interdum etiam coronae si quae praeter statuam decreta erat providisse curator videtur (C. I. A. II 275? — 312); sed hoc munus non semper ad eum delatum esse ex C. I. G. I 107 apparet. sin autem externae urbis civi et statua in patria collocanda et corona decreta esset, coronae quoque in illa urbe publice pronuntiandae consulere curatorem oportuit (C. I. A. II 251); sine ulla autem dubitatione non ipse coronam pronuntiavit curator sed praeconem propterea conduxit.

vel decreto deinde in basi statuae exarando curatorem operam dedisse comperimus. accidit etiam, ut decretum et columnae marmoreae soli aut et basi et columnae aut vel duabus columnis incidi senatui populoque placeret. etiam his rebus providisse interdum curatorem ex C. I. G. II 2374e (add. p. 1074) et Rang. 689 et μουσ. καὶ βιβλ. Cμυρν. 1878 p. 23 constat. sed non semper: nam Athenis quidem ex duobus titulis (C. I. A. II 251—331) et columnae perficiendae decretoque in ea exarando scribam (γραμματέα) consuluisse discimus.

iam si quaerimus, quo tempore statuae ponendae fuerint, plerumque certum collocationis tempus praescribi non solebat. unicus enim est titulus apud Rang. 567 publicatus, in quo curatores ut

---

[1]) Paus. V, 20, 4.

[2]) nisi forte signum priscae impositum est basi, quae iam antea statuae ferendae servierat; C. I. G. I 380.

statua in novo tragoedorum collocetur certamine curare iubentur[1]) (quem morem in coronis pronuntiandis maxime usitatum fuisse nemo nescit). hoc singulare: si enim omnino quid de tempore additur, hoc praecipue imperatur curatoribus, ut signo quam celerrime et optime ponendo provideant.[2])

cum denique ad finem omnia perduxissent curatores, magistratibus qui a rationibus erant (λογισταῖς) rationem eos reddere[3]) oportebat impensarum quas fecerant, iisdemque quae restiterant pecuniae solvendae erant (Rang. 689).

dubitari potest, utrum semper iidem qui statuae ab artifice perficiendae providebant, collocandam quoque eam curaverint an alii altero hoc munere functi sint. in plerisque enim titulis ut iam antea monui ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως legimus, raro pleniorem formulam κατασκευῆς καὶ ἀναστάσεως (in qua κατασκευὴν ad signum ab artifice perficiendum, ἀνάστασιν ad statuam collocandam pertinere apparet). accedunt tituli alii; primum quidem C. I. A. II 251, ex quo effici fortasse nescio an nemini videatur, alteros statuae perficiendae, alteros collocandae providisse. agitur enim in hoc titulo de signo Asclepiadi Byzantino in patria eius ponendo; cui statuae (coronaeque item Asclepiadi decretae) perficiendae magistratus qui ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει (h. e. procurator aerarii) ab Atheniensibus vocabatur et tres legati, collocandae autem Byzantii statuae tres modo legati consuluere. videtur autem hoc loco procurator aerarii non tam statuae providisse perficiendae (quamquam hoc per se non abhorrere a muneribus eius postea videbimus) quam aut pecunias modo ad hoc necessarias solvisse (C. I. A. II 309—316) aut, quod multo existimaveris verisimilius, coronam perficiendam curasse solam: hoc enim munus alias quoque ad procuratorem delatum esse ex C. I. G. I 107 discimus, cum statuae alius curator con-

---

[1]) idem forsitan ex Sueton. Claud. 9 colligi possit, qui Claudium anno 37 consulatu paene multatum esse tradit, quia neglegenter nimis consuluerat statuis Neroni et Druso ponendis. quod ita modo potest intellegi, ut certum ad signa collocanda temporis spatium Claudio praescriptum esse putes.

[2]) C. I. G. II 2374e — Bull. V, 74, v. 52 — arch. zeit. 1872 p. 188 — Newton disc. p. 763 —

[3]) διδόναι τὰς εὐθύνας, schol. in Aristoph. Pac. 605.

stitutus esset. sed non item de alia inscriptione Aphrodisiade reperta (Leb. III 1602 a) iudicari potest. ubi enim Adrasto cuidam a iuvenibus (τοῖς νέοις) cum alios honores tum statuam decretam esse expositum est, pergitur ita: τὴν δὲ ἀνάθεσιν τοῦ ἀγάλματος πεποιῆσθαι τοὺς νέους ἐκ τῶν ἰδίων, ἐπιμεληθέντος Ἑρμογένους τοῦ Ὑψικλέους, φύσει δὲ Ἑρμοῦ, τοῦ γραμματέως τῶν νέων, ἐργεπιστατήσαντος Παμφίλου. duos inde statuae curatores fuisse cognoscimus; et Pamphilus quidem, qui ἐργεπιστατήσας vocatur, statuae ab artifice perficiendae providisse perfectamque inspexisse atque probasse videtur, fortasse quia peritus eius rei erat (cf. Gilbert l. l. p. 249); Hermogenem autem ut statua constituto poneretur loco providisse probabile est. facere non possum, quin hoc loco commemorem, ἐργεπιστατήσαντος vocem in aliis etiam titulis asiaticis (quamquam neque in Graecia inusitatam eam fuisse ex schol. in Arist. Pac. 606 colligas) adhibitam esse, velut Ephesi (C. I. G. II 2963c—2965—2966— Bull. I 292, 80), Smyrnae (C. I. G. II 3190) Cerami (C. I. A. III 486); sed omnibus his locis de alio curatore nihil dicitur, unde colligi potest, eos qui ἐργεπιστατήσαντες vocantur, hic etiam collocandae statuae providisse, ut in his titulis haec vox nihil aliud significet nisi quod saepissime ἐπιμεληθέντες. cum autem in ea sola de qua supra diximus inscriptione duo curatores commemorati sint, nunquam in aliis, inde summa cum verisimilitatis specie colligas, alias plerumque eundem curatorem utroque munere functum esse, vel tum, cum in externa urbe statua domi perfecta collocanda esset (Ἀθήν. V, 9). si igitur in titulis de curatore modo dicitur ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως tacite καὶ κατασκευῆς supplendum esse mihi quidem constat.

quod si plures unius statuae curatores electi sunt, licet putes, hos munera inter se partitos esse; neque abhorret fortasse a vero, si quis contenderit, unum interdum artis peritum inter publicos curatores dilectum esse; sed certum de ea re affirmari nihil potest et persaepe unus modo curator statuae praepositus erat. hunc unum autem artificem etiam fuisse uno modo utimur exemplo (C. I. A. III 476).

haud raro etiam factum est, ut uni homini uno eodemque tempore complures decernerentur statuae; sed tum quoque idem curator omnibus providisse videtur. hoc certe ex titulo apud Rang.

(689) publicato colligere audemus; ibi enim statuis duabus Theopompo cuidam dicatis unus curator Philippus et perficiendis consuluit atque collocandis.

haec fere de officiis curatorum ex inscriptionibus graecis comperimus; iam pauca de numero eorum et de temporibus quibus tituli huc pertinentes exarati sint, adiungere liceat. valde enim mirum nescio an nemini videatur, quod omnes fere in quibus commemorantur curatores tituli Romano demum aevo conscripti sunt, praesertim cum reputaverit, quantus iam quarto a. Chr. saeculo statuarum numerus in Graecia fuerit. causa autem quae sit, haud difficile est intellectu: paucae enim omnino statuarum inscriptiones ante Romanorum tempora exaratae casu quodam servatae sunt nobis et ad rationem earum de curatoribus priorum temporum minima modo comperimus; accedit, quod priscis quidem temporibus curatorum nomina non semper in ipsa signi basi exarari in usu fuisse videtur. nam quin curatores priori aevo item ut postea unicuique electi sint signo, dubitari non potest. tituli quidem ante Romanorum aevum exarati huc pertinent hi: C. I. A. II 251 — 300 — 312 — 331 — 592 — Ἀθήν. V, 9 (si recte de eo iudicavit Cumanudes) — arch. z. 1872 p. 188, praeter unum attici omnes. et in titulis quidem C. I. A. II 251 — 300 — 331 tres dilectos esse per chirotoniam cives ignotos prorsus legimus, qui signo ponendo operam darent; in inscriptione autem C. I. A. II 312 anno a. Chr. 283 exarata procuratores aerarii, in Ἀθήν. V, 9 epimeletam curatores fuisse legimus. C. I. A. II 592 vero decretum est cleruchorum Hephaestiam urbem incolentium; qui civi cuidam Athenis statuam erigere constituerant et propterea quinque viros elegerant, qui Athenas irent peterentque, ut sibi hoc decretum exigere liceret. proximus denique titulus tredecim Jonici concilii urbium decretum est pertinetque ad statuam Hippostrato Milesio ponendam, cui rei ut providerent, duae urbes constitutae erant. certus igitur curatorum numerus non exstitit: complures enim, sed vel unum hoc munere functum esse legimus. idem fere posteris factum est temporibus, quamquam unus plerumque curator suffecisse videtur.

Praemissis his rebus iam qui ordo fuerit curatorum publicorum videamus.

Persaepe **archontes** huic muneri praefuisse comperimus. interdum omnes electi esse videntur, velut Aezanis (Leb. III, 988), Synnadis (Revue 31, p. 195 et 198); quinque Aphrodisiade curantes videmus (Leb. III, 1623), tres Erythris (Leb. III, 53) et in Thera insula (C. I. G. II, 2455), duos Cyzici (C. I. G. II, 3667) et Otroi in urbe Phrygiae (Bull. 1882 p. 517); incertus numerus in titulo in Tauria reperto commemoratur (Bull. V, 74, v. 49). haud raro autem summus modo archon statuam collocandam curavit, ut apparet ex inscriptionibus C. I. G. II, 2457 (in Thera insula) et Bull. II, p. 403, 3 (Traianopoli) et Bull. II, p. 523, 6 (in Melo insula), quo in titulo idem et sacerdos et pontifex maximus fuisse dicitur; saepius etiam Aphrodisiade dilectus esse videtur (C. I. G. II, 2761 — 2764 — 2777). unum quidem ex archontum numero sed non summum Ambryssi (C. I. G. I, 1736) et in Cypro insula hoc munere functum esse legimus (Leb. III, 2814). sed non per se solum archontes statuas collocandas curaverunt; verum haud raro vel unus modo vel complures eorum una cum aliis magistratibus hoc officium suscipiebant, id quod discimus ex titulis C. I. G. II, 2012 (Callipoli) ubi et quaestores et ex C. I. G. III, 4380 b[1] (Cibyrae) ubi una cum iis scriba commemoratur. ex proxima hac inscriptione expleri forsitan possit C. I. G. III, 3822 b[2] (Orcisti), ubi primum archontes curatores enumerantur, tum verba sequuntur haec: καὶ Π. Π. Κλαυδίου Ῥουφείνου . . . . . .; γραμματέως olim ascriptum fuisse videtur.

praeter archontes saepissime **imperatores** (στρατηγούς) curasse discimus, sed certis modo, ni fallor, locis. velut Pergami quinque commemorantur in titulo apud Leb. III, 1721. huc etiam pertinere mihi videtur mutila quaedam inscriptio quae legitur in μουσ. καὶ βιβλ. etc. 1876 p. 4, 76, et ipsa Pergami reperta. quae inde a versu 12 haec continet verba: ἐπιμεληθέντων (sqq. nomina quaedam propria) . . . . τρατ . . ο. quae ex titulo illo a Lebasio publicato in τοῦ στρατηγοῦ supplere possis, ut unus ex curatorum numero imperator fuerit. magis autem placet τῶν στρατηγῶν, ut omnes quorum nomina ante sunt enumerata, imperatores intellegendi sint; titulum enim in fine non recte descriptum esse inde apparet, quod ο ultima esse littera dicitur, id quod fieri nullo modo potest. in alio deinde titulo permutilo Eleae haud procul a Pergamo re-

perto (μουσ. 1880, 140, 186) item in fine de imperatoribus agitur; sed num hoc quoque loco curatores fuerint signi diiudicari vix potest. praeter Pergamum autem urbem in Asia provincia Erythris (μουσ. 1875, 97, 95) et in Chio insula (C. I. G. II, 2217) commemorantur; quinque autem imperatores statuas Severo et Juliae dicatas Ephesi collocandas curasse videntur,[1]) si quidem recte inscriptio in vol. III, 147b publicata a Lebasio expleta est. unum modo imperatorem Smyrnae curantem videmus (C. I. G. II, 3189, qui ἐπὶ τῶν ὅπλων στρατηγός vocatur), summum Eresi (Bull. IV, 442) et in Chio insula (C. I. G. II 2217). in Graecia autem tribus modo inveniuntur locis: in Aegina insula (Rang. 688), Megaris (ubi unus commemoratur in C. I. G. I 1074 — 1079 — Leb. II, 46 c.), Taenari, quo loco Eleutherolacones statuas quasdam suo ipsorum imperatori collocandas tradiderunt.

ephoros quoque, sed non saepe, in doriensibus civitatibus curatorum munere functos esse compertum habemus, velut Oetyli (C. I. G. I 1323), Lacedaemone (C. I. G. I 1321; 1322, ubi una cum iis epimeleta qui vocatur hoc munus exsecutus est), Taenari (Leb. II 261), sed postremis modo ut videtur imperatorum Romanorum temporibus. qui in ultima inscriptione commemoratur quaestor, pecunias modo necessarias solvisse videtur.

locis quibusdam etiam **epimeletae** (qui et ipsi magistratus erant publici) statuis erigendis consuluerunt. praeter eum quem modo attulimus titulum, ubi una cum ephoris epimeletam curatorem vidimus, huc pertinent C. I. A. III 556 (Athenis), Bull. III 151 — 156 — 158 (in Delo insula); conferatur Leb. III 2077. in aliis vero inscriptionibus hoc nomen non ad magistratum pertinere ordinarium sed eodem modo ut ἐπιμεληθέντες participium de statuarum curatoribus usurpatum esse antea commemoratum est et plane apparet ex titulo Bull. V 444, ubi ὑπὸ ἐπιμελητὴν nihil aliud nisi ὑπὸ ἐπιμέλειαν sive ἐπιμεληθέντος significare posse manifestum est. videatur etiam Cumanudes, Ἀθήν. V, 9 sqq.

non raro etiam **senatores** quosdam ad statuas collocandas electos esse constat, sed hic mos Asiae fines migrasse non videtur.

---

[1]) qui iidem rogationem tulerant de erigendis his signis, cfr. C. I. G. II, 2947 — Leb. II, 116a — μουσ. 1876, 114, 1.

velut Philippopoli (Leb. III 2077) Julium Malchum hoc officio functum esse comperimus, qui idem σύνδικος καὶ ἐπιμελητής vocatur; itemque Aphrodisiade hoc munere functum esse legimus senatorem (Leb. III 213) qui et ipse Asiarcha appellatur et una cum eo civem quendam ἀξιολογώτατον vocatum (de quo p. 15). Tirae autem (μουσ. 1876, 114, 1) privati cuiusdam ignoti statuam ponendam curavit Tryphon senator, qui ipse hoc signum decernendum rogaverat, si quidem recte obscuram hanc inscriptionem intellexi. Erythris vero princeps senatus (βούλαρχος) curavit statuam filio Flavii Philostrati, homini de senatu optime merito dicatam (Bull. IV 154); neque hic modo sed etiam Smyrnae eum reperimus, ubi ἀξιολογώτατος cognomen ei inditum est (Leb. III 655). in alia quoque inscriptione Philadelphiae urbis princeps senatus, qui item Claudiani cui dicatum erat signum avus fuit, hoc officium exsecutus esse dicitur (Leb. III 644), Minoaeque princeps senatus patris signum collocandum curavit (C. I. G. II 2264 p.). denique Aphrodisiade principem hoc munere functum esse ex C. I. G. II 2811 apparet: pecuniae autem ad signum perficiendum necessariae non a republica sed a senatu solutae erant.

Mileti etiam princeps **prytaniae** statuis erigendis haud ita raro consuluisse videtur (Rev. 28, 110—111 — C. I. G. II 2878); sed in ultimo quem commemoravimus titulo una cum eo quinque huius magistratus socii (h. e. prytanes) enumerantur.[1]) unum modo ex prytanium numero neque eum principem Hieropoli in urbe Cappadociae hoc munus exsecutum esse legimus (Bull. 1883 p. 129, 130); itemque unum ex C. I. G. II 3001 titulo Antoniae Julianae statuam Ephesi ponendam curasse comperimus et una cum eu populi scribam.

ad **scribas** saepius omnino hoc munus delatum esse inveniemus et ad solos et sociis operae consumptis (p. 11), neque id mirum, cum illi ipsi etiam decreto in columnis incidendo interdum consulere deberent (ut Athenis, p. 7). attamen tituli adhuc servati in

---

[1]) qui quanto in honore a Milesiis sint habiti, ex Aristot. pol. V, 4, 5 discimus.

quibus scribae curatores fuisse dicuntur, ad unum omnes in Asia reperti sunt. sed immerito forsan inde colligas, hunc quoque morem Graecis non placuisse, cum columnis quidem eos providisse collocandis Athenis testimoniis demonstretur. solum quidem per se scribam curasse ex C. I. G. II 2947 titulo Nysae reperto efficitur, in quo eundem etiam sententiam tulisse de statua dicanda adiungitur. itemque unum invenimus Ephesi (Leb. III p. 734), Antiochiae (Leb. III 2707, ubi autem senatus statuam dicavit), Cibyrae (C. I. G. III 4380b² add.). fieri etiam poterat, ut idem ille scriba alio quoque fungeretur magistratu vel publico vel sacro; velut Magnesiae T. Flavius quidam Nervae statuae ponendae consuluit, qui pontifex maximus simulque populi scriba erat (C. I. G. II 2911), cum Ephesi Messalinae (?) statuam scriba[1]) collocandam curaret, qui item institutor Augusti ludorum fuerat (C. I. G. II 2961b). una vero cum aliis scribam curatorem invenimus in C. I. G. III 4830b¹: ibi enim archon socius eius fuisse dicitur (p. 11). Trallibus denique scriba una cum χρυσοφόρῳ qui vocatur signi collocandi munere functus est (C. I. G. II 2929). χρυσοφόρος quid valeat, ignoratur: Boeckhius quidem nomen muneris seu dignitatis esse contendit; probabilior autem multo Hirschfeldii mihi videtur sententia, qui cognomen hoc esse iudicat, ut scriba una cum privato hoc officium praestitisse intellegendus sit.

praeter hos deinde magistratus interdum etiam eos qui aerario praepositi erant curatores fuisse statuarum memoriae est proditum. velut Athenis ii, qui

οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει[2]) appellabantur, huic muneri praefuerunt, ut apparet ex C. I. A. II 312 titulo anno a. Chr. 283 exarato et ex C. I. A. II 275 qui ex eo expletus est. ceterum videantur, quae de C. I. A. II 251 titulo iam antea p. 8 dicta sunt.

de quaestoribus item iam supra egimus; cumque non per se

---

[1]) vix huc referenda est C. I. G. II 2930b inscriptio Trallibus reperta, ubi filius eius cui dicata erat statua ponendam eam curavit, qui idem scriba populi, senatus, gerusiae erat.

liceat etiam hoc loco Pergamenorum afferre documentum (C. I. G. II 3548), in quo filius scribae statuam curasse dicitur a senatu populoque dicatam.

[2]) de numero Gilbert ant. p. Gr. p. 233.

soli sed una modo cum aliis magistratibus fungi hoc munere soleant, pecunias modo necessarias tribuisse videntur.

sola in Philadelphia urbe **oeconomus** urbis commemoratur, qui statuis consuluerit perficiendis (Bull. I 84, 14 — μουσ. 1875, 130, 48). denique **argyrotamias** qui vocatur silentio non est praetereundus, qui in duabus modo Apameensium inscriptionibus curator statuarum fuisse legitur (C. I. G. III 3958—3959).

singulares his tres adiungimus titulos. primus quidem Philadelphiam prope urbem repertus est (Leb. III 1669), unde tres **comarchas** statuae consuluisse collocandae discimus: decretum sine dubio vici cuiusdam in hac regione siti, ex quo ad summos vici magistratus hoc munus delatum est.[1]) alter autem Pergami exstitit titulus (μουσ. 1876, 24, 115), ex quo **chiliarcham** in Aegypto provincia hoc officium exsecutum esse comperimus. cum autem ἐπιμεληθέντος vocabulum ex coniectura modo Earini editoris sit positum et vix credibile videatur, chiliarcham in Aegypto provincia statuae Pergami erigendae providisse, alius rei causa chiliarcham hoc loco commemoratum esse putaverim. tertius denique titulus, qui in Leb. III 147a legitur, Ephesi repertus est. agitur autem in eo de statua L. Torquato Asiae legato a senatu populoque decreta, quam Antonius quidam Hierocles, de quo nihil additur, et Pompeius Aelianus, qui εἰρηνάρχης vocatur, de sua pecunia solverant et sine dubio ponendam etiam curaverant. quem irenarcham publicae paci atque quieti providere oportebat, quo munere Athenis εἰρηνοφύλακες fungebantur: hic igitur quoque quin in summorum magistratuum numero referendus sit, dubium esse non potest.

in inscriptionibus deinde quibusdam[2]) quae omnes intra Asiae fines repertae sunt ἀξιολογώτατος qui appellatur, saepe statuarum fuisse curator traditur. quae vox non raro cum summorum magistratuum nominibus iungitur[3]); in his autem titulis per se legitur sola cum articulo coniuncta, unde colligas, hominibus summis in republica muneribus functis quasi cognomen honorificentissimum

---

[1]) de helladarcha in arch. z. 1876, 50, 8 videatur ibid. p. 226.

[2]) p. Chr. exaratis.

[3]) C. I. G. II 3420 — Leb. III 655.

eam tributam esse. quos statuarum curatores Philadelphiae invenimus (C. I. G. II 3421 — Leb. III 652—654) eosdemque Aphrodisiade quoque (C. I. G. II 2802) et Mileti (Leb. III 213 una cum senatore) huic muneri praefuisse comperimus.

romanorum denique magistratuum in quattuor titulis Megarensibus **proconsulem** Hadriani temporibus curatorem invenimus (Leb. II 48—49—50—50a). in titulis C. I. G. II 2593 usque ad 2597 num consul statuarum curator intellegendus sit, haereo.

haec de magistratibus: vidimus igitur, plerumque in singulis civitatibus ad certum nullum magistratum, sed modo ad hunc, modo ad illum, prout placeret, hoc munus delatum esse; ubique vero non nisi summi ordinis magistratus curatores constitutos esse apparuit.

praeterea persaepe **privatos** qui hoc officium praestarent electos esse constat. non raro enim in titulis prorsus ignotos viros reperimus, h. e. nomina sola legimus, cum non additum sit, curatores hos publico quo munere functos esse. omnes autem quae huc pertinent inscriptiones praeter duas item Romanorum temporibus exaratae sunt: ex duobus autem his titulis (atticis, C. I. A. II 300—331) tres cives publice dilectos statuis collocandis praefectos esse comperimus. alios omnes huius generis qui exstant titulos Romano aevo conscriptos afferre non iuvat, sed eos modo, ex quibus alia colligi possunt. velut horum quoque curatorum non semper eundem fuisse numerum discimus: plerumque enim unum modo curantem videmus (C. I. G. I 1078 — II 2154—2371 — III 3884 — 4012 — 5884 — Newton disc. p. 763), sed etiam duos (Leb. II 159 k — Bull. V 444) et vel quattuor (Leb. III 730) invenimus. non autem de ignobilis viri statua semper agitur in huiusmodi titulis, sed etiam in signis quibusdam imperatoribus aut regibus dicatis curatorum nomina sola legimus, nullo eorum munere commemorato, ut in signis Severo (C. I. G. II 2154), M. Aurelio Antonino (C. I. G. III 3884 — Bull. V 444) Sabinae (Bull. IV, 396), Ptolemaeo regi (Leb. II 159k) erectis. iam inde apparet, non ad unum quem civem, sed ad nobilissimos modo hoc munus delatum esse; accedit, quod interdum una cum summis magistratibus hoc officium eos exsecutos esse traditum est.[1])

---

[1]) Leb. III 147a — 880 — 1602a — C. I. G. II 2929 cfr. p. 14.

vix est, quod moneam, eo maiorem honorem habitum esse, quanto nobiliores statuae curatores essent. quae mea sententia Apolloniatarum affirmatur decreto (C. I. G. III 3960), in quo de statua Mithridati summo Asiae sacerdoti ab Apolloniae civibus dicata agitur. hanc enim ut curaret Xeno quidam electus est, qui ἀνὴρ κράτιστος τῶν πολειτῶν vocatur: summum igitur honorem cives tribuere illi sibi videbantur, cum optimum civem statuae eius collocandae praeficerent. simillima huic decreto Traianopolitarum est inscriptio, quam vides in Bull. 1882 p. 185; pertinet enim ad statuam Gallieno ponendam opera Σεπτιμ. Μαρκιανοῦ καὶ . . . . Μαρκιανοῦ κρατίστω [. . . . . . .]ν, quae ex titulo modo laudato in κρατίστων πολιτῶν supplenda sint. neque alienus ab hoc loco Trallensium est titulus (Leb. III 600 a), in quo Neronis statuae erigendae praefuisse dicitur Hierocles, qui tam bene de republica meritus erat, ut υἱὸς πόλεων[1]) cognomen ei tributum esset. Athenienses denique celeberrimi illius Minervae simulacri a Phidia exculpendi Periclem, hominem eo tempore celeberrimum curatorem per chirotoniam elegisse nemo nescit (schol. Ar. Pac. 606).

iam si quaerimus, qui praetera curatorum sint functi officiis, saepissime **cognatos** aut **amicos** eius cui decretum erat signum commemorari reperiemus, qui utrum publice electi sint an sua sponte petierint, ut praeesse huic muneri sibi liceret, dubium est.[2]) omnium autem eorum titulorum, in quibus cognati aut amici honorati curatores fuisse dicuntur, rationem habere non possumus ob eam causam, quia maior eorum est numerus; et cum plerique ad verbum fere inter se congruant, pauca attulisse exempla satis erit. ac fratrem quidem honorati non modo curantem videmus (C. I. G. II 2787 — 2811 b — III 3858 — Leb. III 754) sed etiam matrem (C. I. G. II 2336), patruum (Leb. II 46 d), filium (C. I. G. II 2930 b), filios (Leb. III 985), parentes (Leb. III 650), maritum honoratae (C. I. G. III 4150 b), uxorem honorati (Leb. III 647). cognati modo, necessitudine non accuratius exposita

[1]) cfr. Hirschfeld, Z. Ö. G. 1882 p. 105.

[2]) interdum quidem cognatos ultro hoc appetivisse inde apparet, quod vel matrem et uxorem honorati curantes videmus, quas publice electas esse nemo iudicabit.

commemorantur in C. I. G. III 3960 b et 5838 titulis. amicos deinde huic officio praefuisse ex C. I. G. II 2783—3417 — (Bull. I, 86, 26 θρεπτός) titulis discimus; nec tutorem pupilli statuam curasse collocandam tacemus (C. I. A. III 911). omnes autem hi tituli Romanorum demum aevo exarati sunt, florentibusque Graeciae rebus hic mos revera exstitisse non videtur.

interdum etiam accidit, ut ille ipse, cui ab urbe dicata erat statua, ponendam eam curaret, cuius res exemplum habes in Sestiorum decreto (μουσ. 1878 p. 23). Menae enim cuidam, Sesti civi, ob multa merita corona statuaque ab urbe dedicatae erant; cum autem illo ipso tempore annonae caritas patriae immineret, ipse et statuam solvit de suaque sine dubio pecunia collocandam curavit. huic titulo simillimum decretum quoddam Pagaeorum est (Ἀθήν. II 482), ex quo Soteli civi, qui permulta in rempublicam beneficia contulerat, ob eam causam statuam decretam esse comperimus. ille autem cum urgeri rempublicam compertum haberet, de suo et solvendae et collocandae statuae providit omnibusque simul dis sacra fecit. sed hae unicae quantum equidem sciam publicae sunt inscriptiones, in quibus honoratum ipsum statuae providisse ponendae diserte dictum est.

hoc loco liceat nobis titulorum quorundam mentionem facere, qui dubites utrum publicis melius an privatis adnumerentur. in initio enim eorum legitur, a senatu populoque statuam esse decretam; paulo post autem sumptus omnes aut cognatum aut amicum honorati tulisse. quarum inscriptionum numerus tantus est, ut vix putare possis, a senatu populoque ultro tot honores tributos ne dicam abiectos esse. accedit, quod in eiusmodi inscriptionibus statuarum curatores nunquam magistratus publici fuisse dicuntur, sed aut cognati aut amici aut servi aut alii, modo quodam cum honorato coniuncti. inde satis effici mihi videtur, saepe a cognatis vel ab amicis civis cuiusdam, quamvis minime de reipublicae salute meriti, senatum populumque rogatum esse, ut statuam ei decerneret, ea condicione, ut ipsi sumptus omnes laturos se esse pollicerentur. et verisimile est, plerumque iis quod appetebant concessum esse. silentio denique non esse omittendum duxi, quod eius generis tituli in iis maxime reperti sunt civitatibus, quae aut pauperes erant aut videri volebant, velut Lacedaemone, ubi

ad rationem aliarum urbium longe plurimi exstant.[1] hoc cur factum sit si quaerimus, haec causa fuisse videtur, quod signo e senatus populique decreto publice statuto longe maior tribui videbatur honor quam privato. statua enim publice decreta quanti sit aestimata, ex inscriptione Eretriae reperta intellegitur (Rang. 689). cuius in initio postquam actum est de statua Theopompo, homini optime merito erigenda a republica, haec sequuntur verba: ἐπιγράψαι δὲ καὶ ἐπὶ τὰς ἑσταμένας ὑπ' αὐτοῦ (Θεοπόμπου) εἰκόνας τῶν τε υἱῶν καὶ τῆς θυγατρός, διότι ἀνατίθησιν αὐτὰς ὁ δῆμος ὁ Ἐρετριέων ἀρετῆς ἕνεκεν τῆς εἰς ἑαυτόν. statuis igitur iam antea a privato collocatis senatus populique decretum incisum est (deleta sine dubio priori inscriptione, si quae omnino exstiterat); quod certe non decrevissent Eretrienses, nisi summus hic honor esset iudicatus. sed aberravimus. quamquam igitur statua nullo publico sumptu et perfecta et collocata erat, tamen in titulo supposito publice eam decretam esse incisum est, cum honoris causa, tum ut publico loco statui posset signum. nec maiora cupiebant cognati.

quae modo exposui non ad omnes pertinere inscriptiones in quibus cognati aut amici honorati sumptus omnes tulisse dicuntur, libenter concedo; hoc enim e. g. satis apparere videtur ex μουσ. 1880 p. 177 et μουσ. 1878 p. 18—23 titulis; attamen saepissime hoc ita factum esse, ut duo illa quae modo laudavimus exempla singularia quodammodo sint iudicanda, nemo sine dubio negare conabitur. curatores autem statuarum tum non a republica datos esse, sed ab iis, qui sumptus omnes (ideoque etiam eos qui ad collocandam statuam pertinerent) suscepturos se esse polliciti erant, manifestum est. qua de causa plurimum eius generis titulorum numerum invenimus, in quibus de curatore nihil omnino additum est, sed ii modo qui pecunias ad signum necessarias solverunt commemorati sunt. neque hoc mirum: erat enim curator aut ille ipse, qui solverat statuam, aut cognatus aut servus fortasse eius. dubium propterea esse non debet, quin pecuniae ut iam monui ad collocandum signum necessariae nunquam a republica sed ab eo semper qui rogaverat statuam solvendae fuerint.

[1]) cfr. omnes fere tituli inde a C. I. G. I 1345 usque ad 1456 et Leb. II 175a — Bull. I 386, 14, alii.

omittimus eos titulos, in quibus qui fuerit curator, plane non dictum est: satis erit paucos attulisse, in quibus certa de eo memoriae sunt prodita. velut matrem honorati curantem videmus Olympiae (arch. z. 1880 p. 55, 341) et Lacedaemone (Leb. II 184?), fratrem Olympiae, cum mater honorati e senatus decreto statuam poneret atque solveret (arch. z. 1879, p. 138, 272), filium in Paro insula (C. I. G. II 2374 e), vernam Philadelphiae (Leb. III 646). vel ex testamento hoc modo statuas positas esse demonstratur inscriptione Smyrnae reperta (C. I. G. II 3192). civis enim quidam, cuius nomen periit, in testamento suo ab urbe petiverat, ut statuam ei erigeret, ad quam perficiendam certas pecunias constituerat.[1]) statuam quidem quam petiverat, decreverunt ei Smyrnaei: curatorem autem non respublica instituit, sed vel tum ipse iam in testamento Tiberium Claudium Metrodorum, amicum putes, huic muneri praefecerat.

redimus ad titulos mere publicos et verbo denique tangimus eos, in quibus curatoris nulla omnino fit mentio,[2]) quamquam non ab alio quodam sumptus omnes solutos esse additur. quorum numerus permagnus est. statuae autem hae item ut aliae omnes quin a curatoribus quibusdam collocatae sint, nemo dubitare potest; sed cur ne nomina quidem eorum exarata sint, haud ita facile est intellectu. homines enim infimi ordinis vel conductos forte, qui digni non iudicati sint, quorum nomina signis subscriberentur, statuis praefectos esse collocandis ideo persuadere nobis non possumus, quia alias summos modo magistratus aut nobilissimos cives aut cognatos denique vel amicos honorati hoc officio functos esse vidimus. neque de his statuis aliter actum esse cum aliunde tum ex Sestiorum praecipue decreto. apparere nobis videtur (μουσ. 1878 p. 18—23). Menae enim, Menetis filio statuam ob varia merita dedicatam esse a Sestiis in hoc decreto legimus, in quo titulus quoque accurate commemoratus est, qui in statua perfecta exarandus esset. hic autem titulus simillimus est iis de quibus hic quaerimus inscriptionibus: nihil enim aliud in eo legitur, nisi a populo (et iuvenibus) Menae optime merito signum esse erectum:

---

[1]) cfr. C. I. G. II 2786 — Bull. I 293, 86.

[2]) velut Leb. III 1004—1108 innumerabilesque alios.

curatoris nulla habetur ratio. ex insequentibus vero Sestiorum decreti verbis Menam ipsum a populo curatorem electum esse efficitur; imperatur autem ei, ut praeter statuam columnam quoque ei apponendam in eaque hoc decretum exarandum curaret.[1]) inscriptio autem nobis servata quin aliud nihil sit atque illud ipsum decretum in columna exaratum quis est qui dubitare possit? in statua enim ipsa exilis modo ille titulus legebatur: in columna autem statuae apposita accurate quaecunque ad signum pertinebant, praecipue curatoris nomen publice electi exarandum erat. quod plane Pergameno confirmatur titulo (μουσ. 1876 p. 23). omnibus igitur huius generis signis, in quibus curatoris nulla omnino fit mentio, (posterioribus quidem Graeciae temporibus[2]), columnam appositam olim fuisse statuimus, in qua cum alia tum qui curator fuisset signi plane expositum erat. nam curatoris publici munera haud ita iucunda suscepturum quendam fuisse, cum ne hoc quidem gratum acciperet a populo, ut nomine eius ubicunque exarato vel posteris demonstraretur, qui meritus ille sit de republica, nemo sibi poterit persuadere.

adhuc de statuis modo egimus civi eiusdem a qua decretae erant urbis dedicatis; persaepe autem factum est, ut urbs quaedam alienae urbis civi ob varia merita statuam decerneret et quo maior ei tribueretur honor, in patria civis illius hoc signum erigere constitueret. et in ea quidem re hac consuetudine utebantur Graeci, ut curatorum certum numerum eligerent eosque in patriam civis de se bene meriti mitterent, qui a senatu populoque peterent, ut statuam civi decretam loco quodam ponere sibi liceret.[3]) numerus autem varius erat curatorum; comperimus enim vel unum sed vel plures hoc officio functos esse. in inscriptionibus vero huius generis maxime usitata est διὰ πρέσβεων formula, in qua διὰ idem valet ac si ἐπιμεληθέντων dictum esset (p. 3.). omnes quidem qui exstant adhuc tituli praeter duos Romanorum demum temporibus exarati

---

[1]) cfr. p. 7.

[2]) florentibus forsitan Graeciae rebus honore ipso atque documento in tabularia publica reposito contenti fuerint curatores: postea autem nescio an nemo tam admirabili eminuerit modestia.

[3]) signum non prius poterat collocari, quam ἐπιψήφισμα de ea re latum erat, C. I. A. III 622 — II 251.

sunt. horum autem alter legitur in C. I. A. II 251, agiturque in eo de Asclepiade Byzantino optime de Graecis atque de Atheniensibus merito. cui ut gratiam propterea referrent Athenienses, coronam statuamque decreverunt: et coronam Byzantii pronuntiari statuamque ibidem collocari placuit. qua de causa tres cives Athenienses in contione per chirotoniam electi sunt, qui corona statuaque perfectis Byzantium se conferrent peterentque, ut sibi Atheniensium illa mandata exsequi liceret. alter deinde titulus item Atheniensium decretum est, qui L. Caecilio Metello in Paro insula statuam dedicaverant (Ἀθήν. V. 9); propterea autem Protimum quendam, qui epimeletae[1]) munere Athenis fungebatur, signo et perficiendo et collocando praeposuerunt. ceteri omnes qui huc pertinent tituli altero demum p. C. saeculo exarati sunt. velut Antonium ab Apolloniatibus in Attica collocatum esse comperimus (C. I. G. I 351); inscriptio autem haec cum inter rudera Cereris et Proserpinae templi reperta sit, fortasse colligi inde potest, signum in hoc templo positum olim fuisse. curaverat autem Julius Praxis, Panhellen appellatus, h. e. legatus sive theorus ad Panhellenia Athenis ab Hadriano instituta missus. unum item curatorem in C. I. G. III 5366 b titulo invenimus, in quo exponitur de statua, quam senatus populusque Adraënorum Julio Gemmio, Constantinae urbis civi, in hac ipsa urbe erigere decreverant. similiterque Tripolitanos Aemilii Junci statuam Athenis per unum ponendam curasse legatum constat (C. I. A. III 622). Herodi deinde Attico, celeberrimo illi sophistae, Gythii cives statuam Athenis ponere constituerunt; sed hi quidem quinque ob hanc causam legatos Athenas miserunt (C. I. A. III 668).

Hic autem honor saepissime Hadriano regi tributus est, quem notum est Olympii Jovis illud templum, quod iam Pisistrati temporibus aedificari coeptum adhuc imperfectum iacebat, de sua pecunia exstruendum atque exornandum curasse.[2]) accedebat, quod non Atheniensibus modo sed universis etiam Graecis quantum poterat, favebat atque subveniebat. quapropter summi ei honores habiti et a multis Graeciae civitatibus statuae dedicatae sunt, qua-

[1]) vid. p. 12.

[2]) Paus. I, 18, 6.

rum haud exigua pars in Olympieo posita est. quod cum fieri non posset nisi concedentibus Atheniensibus, undique ob eam causam ex urbibus illis legatos Athenas mitti oportebat, qui iidem statuae collocandae munere fungebantur. unum ob id legatum miserunt Abydeni (C. I. A. III 472), Palaeenses (ibid. 481), colonia Julia Augusta Diensium (471), Magnetes (Bull. II 416, 3?), Thasii (C. I. A. III 476). ex aliis deinde civitatibus duo qui collocando signo operam darent, missi sunt, ut a Cypriis (C. I. A. III 478), a Pompeiopolitanis (ibid. 482?), ab Anemuriis Cilicensibus (475), a Sestiis (484); quattuor cives a solis Laodicenis (479), tres a Sebastopolitanis (483) et Ceramietis (486) legati sunt. incertum autem curatorum numerum Milesii legasse videntur (C. I. G. I 339); providisse enim statuae dicuntur, qui archontes circa T. Julium Macrum fuissent, ad quae Böckhius archontem hunc non Atticum sed Milesium fuisse rem ipsam docere addit. dubium videri potest, utrum legati illi iam domi statuam perficiendam an perfectam modo in urbe externa collacandam curaverint, cum signo domi perficiendo alius consuleret; eos certe, quibus simul ἐργεπιστάται nomen tributum est[1]) etiam statuae providisse in patria exsculpendae manifestum est. sed alias etiam utroque munere functi esse videntur hi curatores, de qua re videantur quae iam antea (p. 8/9) de C. I. A. II 251 titulo exposuimus et Ἀθήν. V 9.

quod si quaerimus, cuius ordinis hi curatores fuerint in alias civitates missi, plerumque nihil eiusmodi exaratum esse solet, sed nomina per se sola enumerata legimus[2]), unde privatos hos fuisse colligere possis. in Thasiorum autem decreto[3]) legatus artifex fuisse dicitur, quod unicum esse exemplum iam antea (p. 9) monuimus. in aliis duobus titulis διὰ ἐπιμελητοῦ (Ἀρνουφίλου C. I. A. III 481) et διὰ ἐπιμελητῶν καὶ πρεσβευτῶν (C. I. A. III 479) legitur; sed in his inscriptionibus ἐπιμελητής vox idem significat quod ἐπιμεληθείς, h. e, curatorem, non magistratum huius nominis ordi-

---

[1]) C. I. A. III 486.

[2]) C. I. A. II 251 — III 471 — 472 — 475 — 478 — 482 — 483 — 622 — 668 — C. I. G. III 5366 b.

[3]) C. I. A. III 476. conferatur de hoc artifice Hirschfeld tit. stat. p. 134 no. 160.

narium (cfr. p. 12), quod quis forsitan coniciat, quia in altera ἐπιμελητῶν καὶ πρεσβευτῶν dictum est: sed haec sententia C. I. A. III 486 titulo refellitur, in quo διὰ ἐργεπιστατῶν καὶ πρεσβευτῶν verba eodem modo cum καὶ particula coniuncta leguntur. hi igitur quoque quin privati intellegendi sint curatores, dubitare vix licet. aliter autem iudicandum est de atheniensi inscriptione in Ἀθήν. V 9 publici iuris facta, ubi ex formula antecedente epimeletam ordinarii magistratus nomen esse apparet in C. I. G. I 351 deinde curator Panhellen appellatur; C. I. A. III 484 autem titulus vitiose scriptum praebet διὰ πρεσβευτῶν Τίτου Ῥαγωνίου Πόρθμου καὶ Κλαυδίου ΑΒΙΟΥΛΕΥΤΩΝ, ubi primam vocis [βου] λευτῶν syllabam lapicidae errore excidisse Dittenbergerus putat, cui sine dubio assentiendum est: hic igitur senatores duos curatorum officiis functos esse videmus. in C. I. G. I 339 denique archontes qui circa Macrum erant,curasse comperimus. Böckhius quidem Milesium, Atticum Corsinius illum archontem fuisse statuit. si enim reputaverimus, quantum temporis curatoribus consumendum fuerit, priusquam ex urbe tam remota collocato signo redire possent, vix credibile videbitur, archontes omnes, qui summis fungebantur magistratibus, per tantum temporis domo dimissos esse.[1]) aliud enim erat, si epimeleta vel duo senatores propterea legati erant, qui multo facilius aliquantulum temporis abesse poterant a patria quam summi illi magistratus. ob hanc quidem causam Athenienses fuisse archontes putaveris: sed hoc prorsus inauditum, summos alienae urbis magistratus eiusmodi muneri praefuisse, cum Böckhio igitur Milesios intellego archontes:[2])

[1]) quamquam Corsinius alias protulit causas, fasti attici II p. 164.

[2]) quaesivi etiam, anne οἱ περὶ τὸν Μάκερα γενόμενοι ἄρχοντες nihil aliud significet atque Macer, velut quod non raro legitur οἱ περὶ Ἀρίσταρχον idem valere ac si Aristarchus dictum esset, Lehrsius docuit (qu. ep. 28). quod si hoc recte se habet, quominus Milesius fuerit archon, nihil impedit: uno enim archonte, etiam summo, vel per aliquantum temporis egere potuit respublica. confiteor autem mihi ipsi hanc interpretationem non nimis placere, maxime quia γενόμενοι adiectum est. τῶν περὶ .... legitur etiam in Leb. III 988 — Rev. 31 p. 195 et 198 — (cfr. Leb. III 147 b) — C. I. G. I 1322—1323.

fortasse autem munera illi inter se partiti sunt, ut alteri statuae domi perficiendae alteri collocandae Athenis providerent.

haec fere habui, quae de publicis exponerem curatoribus. sed antequam ad privatos transeamus, titulorum quorundam velim habeamus rationem, qui separantur melius a prioribus, quia in iis non singulos homines sed societates quodammodo si hac voce uti licet, hoc officium exsecutas esse discimus. ac primum quidem titulus singularis prorsus commemorandus est Smyrnae repertus:[1]) Jonicarum enim in Asia tredecim urbium concilii decretum est pertinetque ad Hippostratum Milesium, qui Lysimachi regis amicus optime de concilio hoc meritus erat. quam ob causam cum alii honores tum hic quoque ei tributus est, ut aenea statua equo imposita in Panionio ei erigeretur: duae autem urbes electae sunt curatores, quae ut quam celerrime[2]) poneretur signum providerent. has vero urbes per se magistratus quosdam summos nobilissimosve cives constituisse operique perficiendo praefecisse dictu vix opus est.

etiam tribus interdum statuis consuluisse ponendis discimus ex Leb. III 2308 (Soadis), Leb. III 758 (Acmoniae), Rev. 28, 8 (Amastrae) titulis. in primo quidem titulo Minervae templum cum simulacris ab urbe dedicatum esse comperimus, inspiciente (ἐπισκοπούσης) tribu Somaethenorum.[3]) sed non universa sine dubio tribus hoc munere functa est, sed ad certos quosdam tribules hoc officium detulisse videtur.[4]) in altero deinde titulo de Vibiano quodam agitur cui a patria statua erat decreta: tribus autem, quae Asclepias vocatur, sumptus tulit, curante G. Julio Lucilio. quin a tribu sententia sit lata de statua Vibiano erigenda non dubitamus, itemque ab eadem curatorem electum esse veri est simillimum. aliter autem de tertia inscriptione cogitandum videtur: in ea enim cura statuae a senatu populoque decretae ad Dioscuriadem delatam esse putamus tribum;[5]) sed et sumptus omnes et curatoris partes pro tribu illa Lucanus quidam suscepit, amicus fortasse honorati.

[1]) archäol. z. 1872 p. 188.

[2]) vid. p. 8 not. 2.

[3]) cfr. Leb. III 2309—2310. hae societates operibus plerumque maioribus perficiendis praefectae esse videntur.

[4]) Gilbert, handb. der gr. staatsaltert. p. 250.

[5]) de hac re vid. Gilbert ibid. p. 250.

deinde de ludis publicis quae tradita memoriae huc pertinent, percenseamus. victoribus quidem persaepe statuas dedicatas esse satis notum est: publice autem celeberrimos modo hoc honore affectos esse verisimile videtur. velut interdum in titulis huius generis legimus: λαβὼν ἆθλον τό τε θέμα καὶ τὸν ἀνδριάντα σὺν τῇ βάσει, h. e., ob victoriam quam reportavit, permissum ei est, statuam ponere cum basi a republica dedicatam. hic vero mos non ubique idem fuisse videtur. si enim Olympicorum ludorum rationem habemus, statuas victorum aut ab ea civitate ex qua orti illi erant aut a cognatis[1]) victoris aut a victoribus ipsis positas esse constat, quae omnia exposita habes a Krausio in libro qui Olympia inscribitur.[2]) nobis quidem hoc loco de iis modo agendum est inscriptionibus, ex quibus de curatoribus statuarum colligere aliquid liceat; quaecunque autem huiusmodi de publicis ludis cognita habemus, ad Romanorum tempora et ad minores ludos pertinent. et in iis quidem hic mos praevaluisse videtur, ut civitas ea, in qua celebrabantur ludi institutorem eligeret ludorum eique certas pecunias traderet, unde cum cetera ad ludos necessaria tum statuas victoribus erigendas[3]) solveret; quae restiterant, reddita reipublicae.[4]) in ludis autem Leonideis, qui Lacedaemone quotannis celebrabantur, certae pecuniae pro victoriae genere constitutae erant victoribus, unde hermam vel statuam sibi erigere unicuique licebat. has autem pecunias, quae statuae collocandae sufficerent atque perficiendae, nomophylacibus dare eos oportebat, qui loco quodam gymnasii signum perfectum collocare deberent.[5]) proprie vero statuae et exsculpendae et ponendae ab institutore ludorum providendum fuisse verisimile est, quod etiam ex mutila inscriptione Trallibus reperta effici videtur.[6]) institutores autem hi quominus providerent statuis collocandis cum negotiis

[1]) archäol. z. 1876 p. 223, 28 — 1877 p. 36, 34.

[2]) p. 174 sqq.

[3]) ab his civitatibus num externi quoque victores hoc honore affecti sint, nescio; forsitan autem ut Olympiae Graecis modo sic in his ludis civibus solum singularum civitatum interesse ludis licuerit.

[4]) C. I. G. I 1378.

[5]) Lebas II 194 c.

[6]) cfr. Leb. III 612.

plerumque impediti esse videantur,[1]) tum numerus statuarum maior sine dubio erat, quam ut unus omnibus consulere posset erigendis. quin etiam si hoc gratum fecerant reipublicae institutores, ut ipsi pecunias ad statuendum signum necessarias solverent, ne tum quidem eos ipsos sed alios quosdam magistratus publicos curatores invenimus; et Attudis quidem duos epimeletas (C. I. G. III 3952), Philadelphia autem (Bull. I p. 84, 14) oeconomum urbis haec officia pro illis praestitisse discimus. non raro deinde accidisse videtur, ut non institutores modo ludorum sed alii quoque aut magistratus aut privati sumptus ad statuas quasdam exsculpendas necessarias pro republica solverent. velut a senatu has pecunias solutas esse constat[2]) et a senatus principe (Leb. III 655); in titulo autem Ephesi reperto (Leb. III 139) Phaeni Fausti cognatum (cuius nomen periit), privatum sine dubio, laudatum invenimus hominem de republica bene meritum, quia statuas victoribus dedicasset; videmus igitur, divites quosdam etiam in hac re reipublicae subvenisse. collocandis autem statuis tum eos qui sumptus ceteros susceperant aut ipsos providisse aut curatores alios constituisse manifestum est atque exemplo comprobatur luculento.[3]) cum enim Aphrodisiade (C. I. G. II 2811) senatus de sua pecunia Menandro cuidam victori, oeconomi senatus filio, statuam erigere constituisset, principem huic muneri praefecit.

denique certas quoque de statuis his erigendis leges exstitisse apud Graecos praetermittendum non esse silentio duximus. in C. I. G. I 1424 enim titulo sacrae commemorantur leges, ex quibus victoris quis statuam dedicaverit: simile in C. I. G. I 1378 inscriptione legitur. his legibus quae praescripta fuerint quamquam plane non comperimus, tamen de magnitudine et genere statuarum curatoribus praecepta quaedam data esse probabile videtur.[4])

---

[1]) vid. Köhler, mitt. des athen. inst. III 235.

[2]) cum oeconomi senatus filio statua erigeretur, C. I. G. II 2811.

[3]) curatores tum modo a republica dati esse videntur, cum institutores ludorum ipsi sumptus omnes facturos se esse promisissent: vid. tituli supra laudati C. I. G. III 3952 et Bull. I p. 84, 14.

[4]) vid. Krause, Olympia p. 141 not. 48.

II.

Satis diximus de publicis curatoribus: pervenimus ad privatos. ac primum quidem collegia vel aliae societates in ea re quid egerint, videamus. tres iam antea commemoravimus titulos publicos, in quibus a tribu statuas esse collocatas dictum erat. hoc autem loco inscriptio Ancyrae reperta (C. I. G. III 4032) referenda esse videtur: in ea enim non a republica sed a tribu octava Claudia Aurelia Philotae dicatam esse statuam legimus. de curatoris nomine nulla nisi K littera servata est, neque interest, nomen an Cassander an aliud fuerit: efficitur autem, unum constitutum esse curatorem, qui quin a tribu electus sit dubitare non licet. forsitan huc quoque pertineat titulus Aezanis olim collocatus (Leb. III 880), ex quo statuam ponendam phylarchum (h. e. principem tribus) curasse discimus et alium quendam hominem ignotum: quia phylarchus curat, a tribu statuam dedicatam esse conieceris. sed ne hoc quidem pro certo potest affirmari, utrum publica haec inscriptio an privata sit, quia quae scripta erant in initio omnia perierunt.

deinde de Liberi artificum collegio quaerendum est. qui cum Nicomedi quondam qui valde iis favebat regi statuam decrevissent,[1]) collocando huic signo Zenonem praefecerunt, qui unus ex iis fuisse videtur quemque et ipsum multa in eos contulisse beneficia aliunde compertum habemus. etiam Philippo ludorum institutori, qui idem a rationibus[2]) collegii erat, statuam dedicaverunt eique muneri duos curatores praefecerunt (C. I. G. II 2933). ex alio autem titulo Smyrnae exarato (C. I. G. II 3190) statuae Juliano cuidam decretae Phoebionem Paulum consuluisse comperimus. hi curatores qui fuerint quamquam in neutro titulo plane legitur, tamen huius collegii socios eos fuisse vix quisquam negaverit. pecuniae autem ad signum collocandum necessariae a quaestore sine dubio curatoribus tributae sunt, quos perfecto officio logistae rationem reddere oportebat.[3])

epheborum atticorum una modo huius generis inscriptio servata est (C. I. G. I 263). et statua quidem Abascanto dicata:

---

[1]) Leb. II 116a.

[2]) λογιστής, cfr. Lüders, die Dionysischen Künstler p. 144.

[3]) cfr. p. 8.

ponendae autem ei cosmeta, h. e. princeps epheborum consuluit. quin saepius cosmetae, illi hoc munere functi sint, vix dubium est, quamquam uno modo hoc utimur testimonio.

ex duobus deinde titulis etiam a νέοις[1]) statuas dicatas esse discimus. et Aphrodisiade quidem Adrasto homini optime de se merito statuam erexisse dicuntur, cui operi perficiendo ut consuleret, Pamphilum elegerunt, collocando scribam suum praefecerunt.[2]) eosdem denique νέους Sirrhae in urbe Macedoniae invenimus (C. I. G. II 2007): posuerunt autem pontificem maximum institutoremque ludorum concilii Macedonici, curante Cassandro quodam, quem ideo unum ex iis fuisse coniceris.

quibus praemissis ad titulos proprie privatos transeamus. privatis quidem publico loco signum ponere non licuit: sin cui hunc honorem tribuere vellent, senatus populique decreto oportebat.[3]) domi modo aut in templis, quae semper unicuique patebant, quovis tempore ne statuas collocarent, prohiberi non poterant; ad signum autem in alius privati agro collocandum consensu eius opus fuisse manifestum est.[4]) et saepissime quidem ipsos et operi perficiendo consuluisse statuamque ponendam curasse cum per se probabile sit, tum exemplis comprobatur certis[5]), itaque in longe plurimis titulis privatis de curatore nihil omnino adiungitur, cum illum qui solvisset statuam plerumque etiam perficiendam atque collocandam curasse nemo nesciret. exempla huius generis titulorum afferre vix iuvat: videantur fere C. I. G. II 2774 — 2818 — 2821 — Bull. I p. 290, 74 — I p. 293, 82 inscriptiones aliaeque multae. quod si igitur statuendum est, plerumque eum ipsum privatum, qui dedicaverat statuam, ponendam quoque eam curasse, tamen interdum etiam cognatum eius vel amicum hoc munere fungentem videmus; quin etiam vernam curatoris partes suscepisse exemplo demonstratur.[6]) Mylasis quidam Menecrates columnam erexit, cui

---

[1]) de quibus vid. Hirschfeld, Z. Ö. G. 1882 p. 161.

[2]) fusius de hoc titulo egimus p. 9.

[3]) de titulis huc spectantibus iam antea inter publicos egimus p. 18—20.

[4]) vid. Perrot, exploration de la Galatie et Bithynie p. 53.

[5]) C. I. G. II 3183 — Diog. L. V, 15: ἣν διενοούμην ἐκδοῦναι.

[6]) Leb. III 109; cfr. etiam Bull. I p. 86, 24.

caput impositum erat; curavit autem omnia filia eius, fortasse quia ipse negotiis aut aegritudine impeditus erat (C. I. G. II 2714). contrarium autem ex C. I. G. I. 345 titulo discimus in quo Theraeos tres cives Hadriano statuam Athenis dedicasse legimus, cum collocando huic signo pater eorum provideret. Syntychen deinde quandam Fortunae posuisse simulacrum legimus in C. I. G. II 2264m inscriptione: erigendae vero ei maritus eius consuluit. Aezanis autem (C. I. G. III 3846c) a liberis duobus statua soluta, a patruo eorum posita est. mira quodammodo C. I. A. III 1171 inscriptio est. duos enim filios[1]) patri statuam dicasse ubi dictum est, hoc pergitur modo: αὐτὸς δὲ ἑαυτόν[2]) παρέστησα τῷ ἰδίῳ κοσμητῇ Ῥούφῳ Ἐλεουσίῳ. effici igitur ex hoc titulo videtur, patrem ipsum statuam ponendam curasse prope signum Rufi Eleusi, qui cum ipse ephebus esset, cosmetae munere functus erat.

denique hoc loco mentionem facimus Aristotelis testamenti, quod a Diogene Laertio (V 15) servatum nobis est. et is quidem sex elegit amicos, qui quae mandasset in testamento perficienda curarent. cumque alia multa, tum hoc quoque curare eos iussit, ut statuae consummarentur, quae Gryllioni artifici exsculpendae traditae essent, perfectae autem suis imponerentur locis. praeterea autem Nicanoris atque Proxeni statuis (quarum alteram ipse locare in animo habuisset) matrisque Nicanoris signo ponendo consulerent; Arimnesti vero statuam iam perfectam suo loco ponerent, itemque matris ipsius signum aut Nemeae aut ubicunque videretur. discimus igitur, ad testamenti curatores vel statuas collocandi curam delatam esse, quod quin saepius ita factum sit, nemo dubitabit.[3])

III.

Restat, ut in tertia parte qui curatores signis loco sacro statuendis providerint, breviter contemplemur. cum autem iam de privatis perpauca modo memoriae sint prodita, de his minora etiam

---

[1]) una cum nepote.

[2]) ἑαυτὸν hoc loco ut persaepe posterioribus maxime Graeciae temporibus pro ἐμαυτὸν usurpatum esse nemo non videt.

[3]) similis testamenti (C. I. G. II 3192) iam antea mentionem fecimus p. 20.

pro certo possumus affirmare. quae servatae nobis sunt huius generis inscriptiones, etiam hae ad unam omnes Romanorum demum imperatorum temporibus exaratae sunt. ac primum quidem Aphrodisiensium commemoramus decretum (μουσ. 1880 p. 180, 367), in quo a civibus Vespasiano statuam dicatam esse legimus Ephesi in Augustorum templo collocandam, cui rei consuluerit Aristo, Plutonis et Proserpinae sacerdos, qui praeterea νεωποιός[1]) τῆς Αφροδείτης vocatur. neque ita multo post Hadriano imperatori ab Amphictyonibus Delphis statutum est signum (C. I. G. I 1713), quod ut collocaretur, Plutarchus, sacerdos Delphicus, consuluit. Athenis denique in Aesculapi templo brevi ante inscriptio reperta est, ex qua a senatu populoque Sozonti cuidam medico, qui sacerdotio in illo fungebatur templo, hermam ibi dedicatum esse apparet: curaverat autem hoc signum Coponius Maximus, qui ipse ἱεροκήρυκος[2]) muneri praeerat (Ἀθήν. V 323). hae autem unicae sunt inscriptiones, ex quibus ubi posita sit statua a sacro curatore collocata plane comperimus; apparet autem ex iis, statuis in templo collocandis sacerdotes consuluisse, sed non eiusdem modo fani sacerdotes, in quo statuendum erat signum. non praetermittimus alias quasdam inscriptiones, in quibus quamquam de loco plane nihil dictum est, tamen ubi positae fuerint statuae probabili consequi possumus coniectura. et antiquissima quidem in C. I. A. III 454 exstat, in basi inscripta statuae Tiberio a senatu populoque Atheniensium dicatae; de loco quamquam accuratius nihil additum est, tamen in Cereris olim et Proserpinae templo positam eam fuisse iam Dittenbergerus recte existimavit. curavit autem sacerdos quidam, num Augustorum, dubitatur. sequitur Sardianorum decretum (Leb. III 627), quod permutilum expleri tamen potest ex inscriptione latina, quae apud Orellium (6913) exstat. et decernitur quidem ab urbe statua legato propraetore Vespasiani, curante

---

[1]) vide de his Fabric. de architect. gr. Berol. 1881 p. 25 not. 1; cfr. Friedlr. sitteng. III p. 236, 1 et C. I. A. II 403 l. 28: ἀρχιτέκτονος τοῦ ἐπὶ τὰ ἱερά. inde dubium esse non potest, quin templi quodammodo intellegendi sint curatores, qui si quae delubri partes labem traxissent, restaurandis statim iis consuluisse videntur.

[2]) de hoc munere vid. Schömann, altert. II[3] 419.

Augustorum sacerdote: forsitan ideo in Augustorum templo collocatum esse hoc signum putaveris. Nervae deinde imperatori statua dedicata est a Magnetibus (C. I. G. II 2911), quam ponendam curavit Flavius pontifex maximus, qui idem populi scribae munere fungebatur. basis autem cum in Dianae Leucophrynae delubro reperta sit, in hoc statuam olim positam fuisse probabile videtur. in portu deinde Traiani decretum exstitit, quod pertinet ad signum a Gazae urbis civibus iussu patrii dei (h. e. Marnae) Gordiano III positum (C. I. G. III 5892); curator autem Tib. Claudius Papirius constitutus erat templo praefectus.[1]) iam Franzius in adnotatione ad hunc titulum in portu Traiani Marnae templum exstitisse in eoque Gordiani statuam positam fuisse probabiliter coniecit.

denique de consecrandis simulacris pauca adicienda esse duximus. ac primum quidem locum illum quo statuendum erat hoc simulacrum certis quibusdam signis circumscribi necessarium fuisse videtur[2]); praeterea autem certi quoque in simulacro collocando ritus adhiberi solebant. ex Aristophanis enim Pluto (1191) in simulacri collocatione sacerdotem facem gestantem adfuisse comperimus, quem mulier ollas in capite gerens variamque induta vestem secuta esset; et si credimus scholiastis, hic praeterea mos viguit, ut ollae fabarum coctarum plenae in ipsa collocatione a mulieribus cixcumferrentur.[3]) quamquam autem haud multo alius mos exstitisse videtur, cum de deorum signis in domo privata collocandis ageretur,[4]) tamen cum in templo simulacrum consecrandum esset, semper sacerdotem collocationis munere functum esse contendimus: consecrationem enim hanc secretam neque ulli ali atque sacerdotibus formulam in ea adhibendam notam fuisse constat.[5])

Ex omnibus igitur his de quibus modo exposuimus rebus hoc plane apparere nobis videtur, sacerdotes nunquam neque statuis

---

[1]) ἐπιμελητής τοῦ ἱεροῦ. nescio an hoc idem significet atque ἐπιστάτης τοῦ νεῶ, de quo vid. Boeckh staatsh. I 218 et saepe.

[2]) vid. Bötticher Philol, XVIII p. 589, tektonik II² p. 431; cfr. Schömann, gr. altert. II p. 185 et 186, 4, 5.

[3]) cfr. Castorches in 'Αθήν. VIII p. 363.

[4]) Athenae. XI p. 473 c.

[5]) Bött. tektonik II p. 431.

neque simulacris in publico loco collocandis[1]) sed in templo modo statuendis providisse. quod et per se consentaneum est. sed aliud hoc, statuis eos omnibus in templo collocandis operam dedisse cave colligas: haec enim sententia iam ea re refellitur, quod longe maior in templis quibusdam signorum numerus eodem interdum tempore (velut in ludis) positus est, quam ut unus sacerdos omnibus his signis providere posset statuendis: immo ab iis plerumque qui dicaverant signa (sive a republica sive a privato) constituti sunt curatores, qui inspiciente fortasse vel locum modo designante sacerdote signa in templo collocaverunt. quod ita se habere gravibus etiam demonstratur testimoniis, quorum mentionem iam antea fecimus, cum de publicis et privatis ageremus curatoribus. cum enim Athenienses quondam L. Caecilio Metello in Paro insula in Apollinis templo statuam erigere decrevissent, huic et perficiendae et collocandae Protimum praefecerunt epimeletam[2]). item huc pertinent, quae de statuarum curatoribus iam antea[3]) exposita sunt, qui signis Hadriano in Olympieo ponendis consuluerunt. neque privatos aliter in hac re se gessisse ex C. I. G. I 345 titulo colligendum est. Theraei enim tres cives cum Hadriano statuam in Olympieo ponere constituissent, collocando huic signo patrem suum praefecerunt.

Quod si in fine paucis complectimur, quae de curatoribus exposuimus, rempublicam quidem ita statuis providisse collocandis vidimus, ut non raro ad magistratus summos nobilissimosve cives hoc munus deferret. multo autem saepius et saepissime corruentibus Graeciae rebus a cognatis vel amicis honorati curam non modo signi erigendi sed sumptus omnino universos susceptos esse demonstravimus, unde ab illis ipsis vel rogationem statuae dedicandae latam esse colligere ausi simus. duo autem modo invenire exempla contigit, ex quibus vel eum ipsum cui decreta erat statua etiam

---

[1]) tum modo hoc officium ad eos delatum esse videtur, cum iidem publico (Schöm. altert. II 412) simul praeessent muneri, Bull. II p. 523, 6.

[2]) Ἀθήναιον V, 9.

[3]) vid. p. 23.

collocasse eam apparuit: et hoc quidem nisi in summo reipublicae discrimine nunquam factum esse videtur.

ad tribus deinde perraro modo haec cura delata est et semel vel ad duas urbes a concilio Jonico; in ludis autem publicis praeter institutorem modo magistratus modo privati curatorum partes susceperunt.

sodalitia deinde aut collegia vel ad magistratus vel ad alios quosdam socios hoc officium deferre solebant; privati autem ipsi plerumque statuas a se dicatas posuerunt aut a cognatis amicisve ut huic rei providerent, petiverunt. de sacerdotibus denique certi vix quidquam contendere potuimus: hoc autem probabile visum, statuas publice ponendas nunquam sed eas modo quae in templis statuendae erant et ne has quidem plerumque collocandas eos curasse.

Statuis perfectis locoque constituto positis quomodo consuluerint Graeci.

Hanc quoque quaestionem in tres dividere partes in animo habemus. in prima enim exponere placet, statuis aut de industria aut per casum laesis qui consultum sit; in altera, qui contra tempestatis inopportunitatem statuas conservare conati sint Graeci; in tertia denique quo modo et quo tempore signa ornata sint. trium deinde omnium partium in minores particulas tres unaquaeque erit dividenda, ut in alia explicetur, qui statuis provisum sit quae locis publicis profanis, in alia quae sacris, in tertia quae privatis positae erant. perpauca de omnibus his rebus memoriae sunt prodita, neque id mirum, cum levioris essent momenti: attamen vel haec sufficient, ut quodammodo explicari possit, quomodo in ea re se gesserint Graeci. sed etiamsi nihil de hac cura proditum esset, pro certo tamen affirmare liceret haec, signis publicis publicoque loco positis proprie quidem neminem nisi magistratum publicum consulere potuisse (— non contendimus, magistratum quendam sua ipsius manu statuam purgasse, sed curasse modo, ut saepius ea sorde liberaretur —). itemque sacris locis statuis conservandis templi modo curatores providisse consentaneum est; privatos autem ut ipsis placuit statuis consuluisse conservandis res ipsa docet.

I.

Jam postquam paucis quae tractanda sunt, attigimus, in prima parte quae de signis violatis memoriae sunt prodita accuratius contemplemur. et data quidem opera permulta in bello aut laesa aut penitus deleta esse simulacra, vix est quod moneatur; plerumque autem barbaros modo aut Graecorum populos humanitate carentes paene tam rudes fuisse comperimus. Persas quidem Athe-

3*

narum incendisse urbem pleraque quae inerant signa combussisse notum est. Philippus deinde II. Macedoniae rex cum bis Thermonem dirueret urbem, duo milia eo tempore statuarum delevisse dicitur[1]; sed eas modo percussas esse audimus, quae nec formam nec titulum praebuissent dei; vel in Macedonibus igitur semibarbaris tanta inerat religio.[2] eundem autem Philippum Pergami etiam urbis templa evertisse constat[3]; neque multo postea Prusiam regem in eandem illam saevisse urbem ex Polyb. 32,25 discimus. Aetolos quoque (praecipue Scopa duce) Dium et Dodonam et Taenarum Lusosque urbes depopulatos esse simulacraque quae inerant evertisse satis notum est.[4] Romanos denique non magis simulacris multis pepercisse nemo nescit; attamen hi quidem persaepe non tam evertere signa quam in patriam transferre solebant.[5]

Graecos autem, qui quidem digni èrant qui hoc nomine appellarentur, hoc modo in signa saevisse nec traditum est et abhorret prorsus a moribus eorum. immo ex urbe diruenda persaepe signa deorum, qui praecipue ibi colerentur, in patriam eos transtulisse ibique in summo habuisse honore constat.[6]

attamen negari non potest, vel in pace sceleratos quosdam extitisse homines, qui spernentes religionem omnem etiam deorum simulacra spoliare auderent. verbo modo tangimus foedum illud scelus in hermas commissum, quod ex Thuc. VI 27, 8 Andocidisque de mysteriis oratione notum est. simile iam antea accidisse eodem loco (VI 28) Thucydides auctor est; plane autem addit, ab exsultantibus iuvenibus haec facinora perpatrata esse vino inebriatis. Dionysium deinde tyrannum auctor est Aelianus (v. h. I 20) ex omnibus Syracusarum urbis templis opes abstulisse, Jovis vero simulacri et ornatum et vestem eripuisse; cum autem quos iusserat vererentur simulacrum attingere, ipse primus illud violavit. neque hoc satis: idem enim etiam Apollinis spoliavit signum, cum quos

---

1) Polyb. 5, 9 — 11, 4.

2) cfr. etiam Overbeck S. Q. 1624.

3) Polyb. 16, 1.

4) Polyb. 4, 18 — 19 — 5, 9 — 9, 34.

5) cfr. quae Voelkel et Sickler de hac re exposuerunt et Petersen, einf. in die archäologie.

6) exempla habes apud Bött. tekt. II². p. 435.

demitteret aureos cincinnos resecari iuberet. ex Demosthenis autem oratione XXIV[1]) latrones quosdam acroteria (h. e. alas) Victoriae aurea decussisse efficitur; Lacharem deinde ex Athenarum urbis arce aurea abstulisse scuta Minervaeque signum ornatu omni exuisse aliunde comperimus.[2]) recentiori vero aevo haec facinora saepius perpatrata esse nemo mirabitur. ex Luciani quidem qui Juppiter tragoedus inscribitur libro (25) brevi ante a sacrilegis quibusdam celeberrimo Jovis Olympii simulacro duos cincinnos detonsos esse comperimus; eodemque fere tempore Neptuni simulacro Geraesti collocato piscatorem quendam triaenam eripuisse ibidem legitur.

interdum etiam simulacra a furibus[3]) surrepta esse ex iocosa inscriptione in Chio insula reperta (C. I. G. II 2229) discimus:

Ἑρμῆν τὸν κλέπτην τίς ὑφείλετο; θερμὸς ὁ κλέπτης,
ὃς τῶν φηλητέων ᾤχετ᾽ ἄνακτα φέρων!

haec in basi sine dubio, ut iudicat Böckhius, incisa erant statuae a fure sublatae.

hominum signa quin multo saepius aut violatae aut ornatu privatae sint, nemo dubitabit; attamen duo modo huius rei exempla per casum nobis servata sunt. patricios enim in Chio insula spoliasse constat statuam Philitae tyrannicidae[4]); iam antea autem in Hecatomni regis signum Mylasis positum a Pelarmi filiis peccatum esse ex C. I. G. II 2691 d discimus titulo.

signa autem ne hoc modo laederentur quomodo providerint Graeci si quaerimus, deorum quidem simulacra deos ipsos curare atque ulcisci eos qui in illa quid commisissent, putaverunt[5]). iam antea commemoravimus, Philippum semibarbarum ne in bello qui-

[1]) § 121 scholiisque ad hunc locum.

[2]) Overbeck S. Q. 685—687.

[3]) cfr. Cassiodor. var. VIII, 13.

[4]) vid. Kirchhoff. in acta m. acad. Berol. 1863 p. 265.

[5]) simulacra modo eximie sacra locis reponi solebant, quae saepe non modo non populo sed ne sacerdotibus quidem universis intrare fas erat; cfr. Paus. II 10, 4 — 35, 11 — III 14, 4 — 20, 3 — VII 23, 9 — IX 38, 9 — Lucian. de dea Syr. 31. quin etiam signa quaedam vel in adytis conservari solebant, cum in templi cella aliud simulacrum consecratum exstaret, cf. Bött. tekt. § 64, 5.

dem violare ausum esse simulacra, quae aut ex forma aut ex titulo deorum esse appareret. quanti autem urbis cuiusdam incolae dei qui in ea colebatur signum aestimaverint et quam non violare illud ausi sint, exemplis gravibus demonstratur. Syracusis quidem quos iusserat Dionysius Jovis simulacrum ornatu privare non prius hoc ausos esse, quam ipse sua manu vestem deripuisset, modo exposuimus. Segestaei autem, cum Verres ut Dianae signum vetustissimum ei traderent imperasset, quantum poterant, recusabant; tandem autem cum minis eius deterriti eo adducti essent, nulla tamen vi ut ipsi signum tollerent, moveri poterant; barbaros itaque quosdam Lilybaeo adductos esse operarios Cicero[1]) auctor est, qui ignari totius negotii ac religionis simulacrum sustulissent. in tanto igitur signorum honore minime mirandum est, si plerumque templa pretiosissimis referta operibus non nisi sacerdotibus custodiebantur. singulare enim est, quod, cum Verres Agrigentum venisset, ab iis qui principes in ea civitate magistratus erant praeceptum est negotiumque datum quaestoribus et aedilibus, ut noctu vigilias agerent ad aedes sacras.

et ad tantum timorem eo adducti sunt Graeci, quod dei, quorum signa violata erant dedita opera, summa afficere poena eos qui scelus commiserant putabantur. Proeti quidem filias cum vetustissimum Junonis signum a Peira exsculptum et sprevissent[2]) auroque privassent[3]), ob hoc scelus insania punitos esse comperimus.[4]) latrones autem illi, qui Victoriae deiecerant alas, perpatrato hoc scelere alius alium trucidasse ferebantur.[5])

hominum vero statuas longe non eodem modo a nefariis tutas fuisse ex re ipsa apparet. et hae quidem ne laederentur, vario modo providisse Graecos discimus. velut in inscriptione[6]) statuae basi incisa mulier quaedam praetereuntem obtestatur hisce: πρὸς θεῶν μοι μηδὲν ἀκρωτηριάσῃς ἐνθάδε!

---

[1]) in Verr. IV, 35.
[2]) Apollodor. II, 2, 2.
[3]) Serv. ad Verg. ecl. VI, 48.
[4]) Paus. II 7, 8 — VIII, 18, 7.
[5]) Demosth. XXIV, 121 cum scholiis.
[6]) C. I. G. IV, 6855.

hoc autem unicum quantum equidem sciam obtestationis exemplum. multo enim magis in more erat, ut scelerati eo deterrerentur modo, ut exsecratio statuae inscriberetur. huius generis C. I. G. III 4000 titulus est, Iconii in Zotici cuiusdam signo exaratus. is enim in eum qui violaturus esset statuam haec exsecratur:

ὀρφανὰ τέκνα λίποιτο, χηρὸν βίον, οἶκον ἐρῆμον,
ἐν πυρὶ πάντα δάμοιτο, κακῶν ὑπὸ χεῖρας ὄλοιτο!

easdem fere exsecrationes Herodes Atticus filiorum ab eo adoptatorum statuis incidendas curavit. quod et ex Philostrati vitis sophistarum discimus (II. 1, 10: οὐκ ἀφανῶς, ἀλλὰ ξὺν ἀραῖς τοῦ περικόψοντος ἢ κινήσοντος) et in basibus quae adhuc exstant, legere possumus. in uno e. g. titulo (C. I. G. I 989) cum quantum posset mali in eum deprecatus esset, qui laedere statuas auderet, ita pergit: ἀλλ' ἐᾶν τά τε ἐπιθέματα τῶν μορφῶν ἀσινῆ καὶ ἀκέραια καὶ τὰ ὑποστήματα τὰς βάσεις, ὡς ἐποιήθησαν. καὶ ἐν πρώτῳ γε καὶ ἐπὶ πρώτοις, ὅστις ἢ προστάξειεν ἢ γνώμῃ συμβάλοιτο περὶ τοῦ τούτων τι ἢ κεινηθῆναι ἢ συνχυθῆναι! non igitur eum modo exsecratur, qui sua manu statuam violaturus esset, sed eum quoque qui alium ut violaret impulisset. easdemque exsecrationes basi quae Regillae uxoris statuam sustinebat insculpendas curavit (C. I. A. III 1417): in fine autem laudatur, qui statuam loco non moveret atque ex more honore eam afficeret.

multo vero magis quam exsecrationibus illis legibus sine dubio latrones deterriti sunt. in more enim Graecis fuisse videtur, ut non ii modo qui deorum simulacra violassent, sed etiam qui in hominum statuas peccassent data opera, gravissima si fieri posset, poena afficerentur. si quidem de deorum ageretur simulacris, plerumque de iis qui laeserant ea vel deiecerant supplicium sumptum esse videtur. eos certe, qui hermas Athenis deiecisse et mutilasse putarentur omnes capite damnatos esse comperimus, quamquam ut plane nobis tradidit Thucydides a iuvenibus vino corruptis haec signa percussa erant.[1]) et si Cicero in oratione

[1]) titulum in Bull. II p. 98, 4 publicatum falso suppletum esse ideoque huc non pertinere R. Weil docuit in Sallet. numismat. z. IX p. 235.

contra Verrem habita (IV 13) duos illos fratres cum in suspicionem venissent Cibyratis fanum expilasse Apollinis, veritos poenam iudicii acelegis domo profugisse tradit, inde quoque si non supplicio at gravissimis certe poenis affici hos latrones solitos esse apparet.

ut autem optime intellegatur, quanta severitate ne dicam crudelitate Graeci interdum usi sint in eos, qui vel inscii quid committerent, in deorum simulacra peccaverant, grave exemplum afferre liceat a Pausania (VIII 23, 6) proditum memoriae. Condyleae enim templum atque simulacrum exstabat Dianae: ibi autem cum quondam circa templum pueri luderent, funem per casum reperierunt eumque collo simulacri affigerunt, Dianam sese strangulari dicentes. cives vero cum hoc animadvertissent, tanta affecti sunt ira, ut pueros statim captos lapidibus obruerent.

addimus denique, non minori poena eos affectos esse videri, qui Tiberii temporibus in imperatorum Romanorum signa quid commisissent. narrat enim Philostratus[1]) haec signa temporibus illis in summo metu habita multoque sanctiora iudicata esse quam Jovis Olympii simulacrum. efficitur inde, crudelissime qui signa illa laedere ausi essent, a Tiberio[2]) punitos esse; neque hoc abhorret a moribus eius, cum vel in eos qui nummos imperatoris imagine signatos contempsissent, ridicula prorsus severitate usus esset.

etiam de iis, qui hominum violaverant statuas supplicium interdum sumptum esse constat. Pelarmi enim filii cum in Hecatomni regis statuam Mylasis collocatam[3]) peccassent et hoc modo donaria non solum sacra sed etiam rempublicam, de qua optime meritus erat Hecatomnus, laesissent, ipsi capitis damnati, bona autem quae possidebant omnia erepta iis atque publicata sunt. sed ne hoc quidem satis videbatur: additum enim, eum quoque cum omnibus trucidandum esse cognatis, qui unquam pro iis quid facere ausurus esset, unde effugisse eos collegeris.

plerumque autem tam graves poenae sine dubio non erant, praecipue cum de privati cuiusdam ignoti statua ageretur. tum enim in more fuisse videtur, ut iis qui violassent statuam certae pecuniae

---

[1]) in vita Apoll. I 15.

[2]) alios imperatores non tanta fuisse severitate constat; cfr. Friedl. sitteng. III p. 210 not. 8.

[3]) anno ante Chr. 350; vid. C. I. G. II 2691 d.

solvendae essent. velut inscriptio nobis servata est exarata in aenea Hermodori cuiusdam statua[1]), in qua monentur praetereuntes, ne statuam loco moverent neve surriperent; sin quis fecerit, viginti duos aureos matri Smyrnaïcae (deum intellege) ab eo solvendos esse[2]). custodes ibi collocatos esse incredibile videtur[3]); latrones igitur tum modo poena affectos esse patet, si per casum aut denuntiati aut in ipso facinore deprehensi essent. tum autem a magistratibus publicis pecuniae a maleficis exactae et tum demum deae aerario tributae esse videntur; qui enim aliter hoc fieri potuerit, non intellegimus, quia sacerdotes potestas omnis deficiebat.

aliud est, si interdum senatus populique decreto statuae eversae sunt; hac enim poena eos praecipue affectos esse comperimus, qui aut in deos aut in rempublicam scelera commiserant vel commisisse putabantur. minime igitur mirum est, si in eos quoque hoc modo consultum esse legimus, qui ipsi in alia signa vel templa saevierant. ita e. g. cum Philippo II actum est, cum templa omnia circum Athenas sita delevisset: statuae enim et ipsius et cognatorum deiectae sunt.[4]) neque silentio hic praetereunda sunt, quae in altero libro (cap. XVII, 7) memoriae prodidit Pausanias. narrat enim, celeberrimum illud Junonis templum quod Argi erat Chryseidis neglegentia sacerdotis[5]) inustum esse; miro tamen modo Argivos statuam eius non evertisse. colligendum igitur inde est, eorum qui talia commiserant scelera statuas plerumque (et maxime Pausaniae vel auctoris eius temporibus) everti solitas esse. eadem hac poena alia de causa Hipparchum proditorem punitum esse[6]) constat atque Demetrium Phalereum[7]); Crotoniatas autem Astyli civis

---

[1]) μουσ. καὶ βιβλ. 1880 p. 128, 166.

[2]) satis notum est, eiusmodi multas saepissime in monumentis sepulcralibus exaratas inveniri, et vel in aris, cfr. athen. mitt. VI 371,19 simile vel in privati poculo inscriptum esse non taceo, cfr. Jahn, Katal. d. münch. vas. p. CXXIX.

[3]) custodem enim sepulcri, quem exstitisse interdum apud Romanos constat, huc non pertinere nemo non videt.

[4]) Liv. XXXI, 23—44; cfr. Dio Chrys. XXXVII p. 122.

[5]) circa Olymp. 89, 1.

[6]) Lycurg. in Leocr. §. 117.

[7]) Overbeck S. Q. 1437—1441.

Crotoniatae signum delevisse ea de causa comperimus[1]), quod ille palmam Olympiae adeptus Syracusarum urbis civem se renuntiari passus erat. Verris denique signum a Tyndaritanis deturbatum statim esse simulac successum eius audissent illi Cicerone utimur auctore in oratione in Verrem habita IV 4.[2])

haec de statuis dedita opera violatis. de laesionibus non de industria sed per casum factis aliter semper cogitasse Graecos monere vix opus est.[3]) nullo autem modo violatio evitari poterat in templis illis, quae donariis atque statuis referta erant. traditum hoc nobis de Parthenone in tabulis quaestorum, qui omnibus templi illius donariis conservandis praepositi, anno peracto quaecunque in templo exstabant donaria et qui illa se haberent accurate describere debebant. eiusmodi tabulam legis in C. I. A. I 139. alia quaedam inscriptio a Rangabe (848) publicata unde sit, ignoratur: agitur autem in ea de statuarum quae per casum perierunt membris, id quod initio anni quaestores notant.[4]) harum autem quippe quae minimae essent laesionum nulla omnino ratio habita esse videtur.

ut autem vel contra minimas has laesiones quantum fieri posset defenderentur signa, basibus imposita esse videntur, id quod etiam titulo quodam confirmatur, in quo basis argentea gypsi plena supposita esse dicitur signo ut ἄσταθμον καὶ ἀτείμητον καὶ ἄχραντον esset.[5]) neque alia re moti esse videntur Graeci, ut saeptis (ἐρύμασι) cingerent simulacra quaedam[6]); sed haec non nisi in pretio-

---

1) Paus. VI, 13, 1.

2) Hellanodicis quoque statuam victoris nimis magnam evertere licuisse non taceo, vid. Lucian. de imag. 11, Krause Olympia p. 141. — confer. etiam Friedl. sitteng. III p. 211.

3) vid. Friedl. l. l. III p. 210, not. 8.

4) cfr. Curtius, progr. Lübeck 1877: studien zur gesch. von Samos p. 10 sqq. et U. Köhler, ath. mitt. 1882 p. 369.

5) C. I. G. II 3159. miror, quod nemo adhuc (ne Hasius quidem in Steph. thes. s. v. ἄσταθμος) ἀτείμητον verbum sensu omni carere vidit. ἀκείνητον sine dubio corrigendum est: κινεῖν enim proprie de movendis signis adhibetur, cfr. Herodot. I 183. — Philostr. v. s. II 1, 10. — C. I. G. I 989 etc.

6) Paus, V, 11, 4. — C. I. A. I 319.

sissimis modo signis atque in templo consecratis adhibita esse videntur.[1])

cumque ab hominibus tum ab animalibus quoque et maxime quidem ab avibus non raro statuae violatae sunt. notum e. g. est, cornicum multitudinem de Minervae signo Delphis posito aurum deripuisse[2]); plerumque autem non tam violare signa quam sordibus modo inquinare aves solebant. quod ut prohiberent quomodo consuluerint Graeci, si quaerimus, haud raro statuas sub divo collocatas tectis quasi conservatas esse inveniemus. adhibuere enim tenuia folia (πέταλα) ex metallo in lunae formam fusa ideoque lunulae (μηνίσκοι) appellata, quae capitibus statuarum imponi solebant, ne aves insidentes inquinarent ea neve polluerent.[3]) sed ne signa quidem in templis collocata ab animalium iniuriis tuta fuisse ex Arnobio efficitur (VI 16), qui in ore simulacrorum ab araneis ordiri retia atque hirundines intra ipsos aedium circumvolantes tholos stercoris splenas iaculari et modo ipsos vultus modo barbam, oculos, nasos, aliasque omnes simulacrorum partes depingere auctor est. quod impediri vix poterat: acquiescendum igitur erat in signis sordibus atque maculis nonnunquam purgandis.

denique aut terrae motu (quod non raro in Graecia accidisse putaveris) violari aut per se corruere[4]) poterant signa: his rebus providere omnino neminem potuisse patet.

iam si quaerimus, statuae hoc modo violatae quomodo refectae sint, etiam de hac re perpauca modo prodita esse memoriae inveniemus. ac primum quidem quae de **cura publica** nobis nota sunt si percensemus, diligentissime quidem a Chiis statuae cuidam consultum esse[5]) compertum habemus. erat enim in urbe illa signum Philitae civis, qui tyrannum quondam interfecerat atque ita eximio modo de reipublicae salute meritus erat. plura de eo ignoramus. nobiles autem urbis illius statuam contra se positam esse iudicantes gladio privarunt.[6]) populo propterea visum, ut exetastae ceteris omnibus

[1]) vid. Bött. tekt. II § 59.
[2]) Paus. X 15, 5. — Plut. de Pyth. or. 3.
[3]) schol. Aristoph. aves 1114. — Suid. Hesych. Phot. s. v. μηνίσκοι.
[4]) C. I. G. II 3488 — Sueton, Vitell. 9. cfr. Plut. Anton. 60.
[5]) acta m. acad. Berol. 1863. p. 265.
[6]) c. Olymp. 112, 1. ex Kirchhoffii coniectura ingeniosa.

rebus accurate constitutis una cum architecto quodam statuam reficiendam locarent, qua in re etiam quaestor, qui quoque mense hoc munere fungeretur, subvenire iis iussus est, ut sumptus sine dubio ad statuam reficiendam necessarios solveret. eundem igitur fere hic morem exstitisse videmus atque in recentibus signis collocandis. nam hic quoque curatores eliguntur, qui artifici cuidam signum conducerent, publici scilicet magistratus, qui eodem modo ut curatores illi (p. 4—7) muneri praefuisse videntur, cum pecuniae ad instaurandam statuam pertinentes ab aerarii praefecto iis tribuerentur.[1])

cum igitur natura ferat, ut statuis loco publico erectis publici consuluerint magistratus, interdum tamen privatos quoque in hac re subvenisse rei publicae comperimus. huc enim referendus esse videtur C. I. G. III 4556 titulus Palaestrinae in templi cellula rotunda repertus, in quo Theodotum quendam τὴν Τύχην σὺν τῇ κόγχῃ τῇ πατρίδι auro ornasse legimus. Fortunae igitur statuam publice in hemicyclio positam temporumque ut videtur inopportunitate deminutam ut gratum patria faceret Theodotus instaurandam curavit. Thyatirae deinde statua Amphimacho ab Arena quondam urbe erecta (C. I. G. II 3488) et ara prope eam collocata terrae motu graviter erat affecta. haec autem statua quamquam publice posita erat, tamen refecta est a filia Amphimachi, quae et aram restituit statuamque refectam suo loco collocandam curavit: omnia de sua pecunia.

ut igitur signis loco publico profano statutis privati non raro consuluerunt, ita simulacris loco **publico sacro** collocatis rempublicam providisse interdum comperimus. Jovis enim simulacrum a Phidia exsculptum ex innumerabilibus quippe partibus cum esset compositum, paulo factum est, ut in dies plures solverentur, ut timendum esset, ne brevi tempore totum signum corrueret. quod ne fierent Elei providerunt: sexaginta enim annis postquam Phidias illud confecerat, Damophontem artificem celeberrimum arcessiverunt, qui solutis iam eboris compagibus ad unguem omnia exactissime

---

[1]) idem ex Demosthenis colligere licet orationibus in Androt. (p. 615) et Timocratem (p. 755) habitis, quamquam hic non de statuis sed de coronis modo reficiendis agitur.

coagmentavit.[1]) de Minervae cui simile accidit signo postea plura dicenda erunt.

minorum autem laesionum plerumque nulla omnino ratio habita esse videtur, qua de re iam supra exposuimus. in Boeotia vero cum quondam aurea phiala donariaque alia in Amphiaraïo posita labem traxissent, communi Boeotorum decreto tresviri vasis reficiendis creati sunt, qui donaria illa instauranda atque ex reliquis quae non instaurarentur donariis vasa deo argentea conficienda curarent.[2]) iussi autem sunt ἱεράρχαι[3]) tradere omnia praesentibus polemarchis et catoptis, de quibus quae Böckhius adnotavit (C. I. G. I 1570) conferantur. hoc quamquam ad vasa pertinet, tamen non est, cur de statuis instaurandis similiter interdum actum esse negemus; quamquam hoc decretum inusitata paene ac subita liberalitate ortum esse mihi videri non taceo.

plerumque enim quin signa sacris locis posita reficienda sacerdotes curaverint atque pecunias necessarias ex templi aerario solverint, dubium esse vix potest. quod nos quidem ex C. I. G. II 2749 titulo Aphrodisiade reperto colligere non dubitamus. dicitur enim in eo Venus de suis pecuniis cellulas statuis instituisse reponendas et πυλίδας σὺν τοῖς ἐπιφερομένοις alio posuisse loco atque λευχουργῆσαι. voces has, quia haud facile sunt intellectu, graece attuli; videntur autem τὰ ἐπιφερόμενα nihil aliud significare nisi statuas et λευχουργεῖν idem quod γυψοῦν, si Böckhio credimus. in fine deinde huius tituli omnibus his rebus quinque naopoei[4]) consuluisse dicuntur. hoc igitur loco de Veneris templo agitur reficiendo, cuius rei sacerdotes sine dubio auctores fuerunt, qua de causa ex templi quoque aerario pecuniae omnes solutae sunt.

alio deinde testimonio utimur hoc. Lacedaemone templum erat Hilaïrae Phoebaeque dicatum[5]), quarum sacerdotio virgines fungebantur Leucippides et ipsae vocatae. una autem earum, cum simulacrum alterum tempore iam esset deminutum, gratum se deae

---

[1]) Pausan. IV 31, 6.
[2]) cfr. C. I. A. II 403.
[3]) de quibus vid. Schömann, altert. II p. 416.
[4]) de his iam antea exposuimus p. 31 not. 1.
[5]) Paus. III 16, 1.

facturam putans pro vetere signi facie reposuit aliam, eo artificio elaboratam, quo cum ipsa viveret simulacra exsculpi solebant. quamquam haec spes eam fefellit: alterum enim signum eodem modo restitutura visu deterrita est.

maioribus autem cum damnis templum esset affectum, his plerumque a republica provisum esse videtur[1]; attamen non raro sacerdotes ipsos[1]) (et forsitan vel privatos) hoc modo de dis meritos esse pro certo possumus affirmare.

denique si quaerimus, signis temporum iniuria inutilibus paulatim redditis quid factum sit, deorum quidem simulacra, praecipue autem quae consecrata erant, locis quibusdam templi reposita ibique servata, nunquam deleta esse videntur.[2] et Romae quidem in Jovis Capitolini templo favissas h. e. cellas quasdam et cisternas exstitisse, quae in area sub terra essent et ubi reponi solerent signa vetera ex templo collapsa aliaque donaria a Gellio (II. 10, 2) discimus; ubi hoc quoque additur, favissis his usos esse aedituos Capitolinos ad custodiendum res veteres religiosas. quod idem testatur Festus (p. 88); simileque ab Ovidio[3] exponitur, qui in recessum tenebrosum speluncae similem non procul a templo situm multa a sacerdote signa lignea veterum deorum translata esse tradidit. Graeci quin eadem in deorum simulacra usi sint religione dubitare non licet; neque improbabilis nobis videtur Bötticheri sententia, qui Pausaniam simulacra illa graviter bello Persico flammis affecta in favissis Poliadis templi reposita vidisse coniecit.[4]

---

1) Bull. I p. 37 l. 8—15.
2) Bötticher tekt. II § 40, 2.
3) in Metamorph. X 691.
4) Bött. tekt. II § 42, 2 — Philol. XVIII p. 587.

II.

Statuae a tempestatis iniuriis quomodo defensae sint.

Adhuc de signis modo diximus aut ab hominibus quibusdam aut ab animalibus fractis vel despoliatis: fortuitae autem quodammodo erant hae laesiones et raro modo signa ita violata esse apparet. semper vero unumquidque signum aëris iniquitati et quae sub divo posita erant vel tempestatis inopportunitati erant exposita. si igitur iam signa in domo collocata sorde nonnunquam atque pulvere purganda erant, multo magis hac cura opus erat in signis sub divo statutis. et vetustissimis quidem temporibus signa omnia sub divo statuta erant; accedebat, quod simulacra illa ex ligno elaborata gravissime tempestate affectabantur. cui rei ut subvenirent Graeci aediculas signis circumposuisse videntur, parvas initio, ut nihil nisi signum iis tegeretur, deinde elegantiores[1]); et paulatim demum magnificentissimas inde aedes ortas esse nobís persuasum est.[2]) attamen solam hanc aediculae exstruendae causam fuisse haud contenderim; cum Böttichero enim viro doctissimo id quoque ea re spectasse Graecos iudico, ut quantum maxime ne ab homine nefario profanaretur neve macularetur simulacrum prohiberent.[3]) sed postea etiam quin in agris quidem plerumque in parvis cellulis posita sint deorum simulacra, et per se non dubium est vasculorumque recentioris aevi picturis luculentissime confirmatur.[4]) cum igitur in agro praecipue has aediculas exstitisse consentaneum sit, tamen in urbe etiam signa hoc modo tecta esse comperimus[5]); et vel in templis eius cui dicatum erat fanum dei signum semper aedicula cinctum esse videtur, eundemque morem in deorum simulacris quae in privatorum sacrariis statuta erant adhibitum esse gravibus utimur testimoniis[6]); sed hic quidem non

---

1) vid. Bött. baumkult., figg. 33 — 36 a — 58.
2) idem sentit Bött. baumkult. p. 152.
3) Bött. tekt. § 40, 3.
4) Bött. baumkult. figg. 36 a — 58; ibid. p. 532.
5) Bullet. V p. 39.
6) Bött. tekton. § 59, 2—3.

tam de conservando signo cogitasse Graecos quam a vetusto more non recessisse apparet.

mirus deinde mos erat Graecorum, ut templorum quorundam cellam non totam tegerent, sed partem quidem eius apertam relinquerent. omissis omnibus rebus quae ab aliis de his templis scriptae sunt, Bötticheri sententiam quam unam agnoscimus rectam sequimur. simulacrum quidem ipsum non sub divo sed in secessu[1]) magis cellae collocatum et hoc modo non ita expositum erat tempestatis iniquitati ut signum sub divo statutum. sed hoc minime suffecit, et idcirco in unoquoque huius generis templo parapetasmata quae dicebantur in usu fuisse videntur, quae non contra imbres modo sed etiam contra pulverem tuebantur simulacrum et in diebus modo festis, cum ingens in templum conveniret multitudo removeri sine dubio solebant. ceterum vid. Bött. tekt. II p. 596.

haud raro denique sub arboribus posita esse signa memoriae est proditum. ac priscis quidem temporibus eorum modo deorum simulacra arboribus supposita esse videntur, quorum cultus modo quodam cum arbore coniunctus erat. postea autem non deorum modo quibus nihil cum arbore ipsa commune erat simulacra sed vel hominum statuas suppositas iis esse constat, qua de re alio exponere loco in animo habemus. huius autem rei quae causa fuerit si quaerimus, hoc nobis quidem factum esse videtur cum quia candidus marmoris color pulcherrime abhorrebat a fusco trunci colore viridique fronde, tum quia arbor multum valebat ad statuam conservandam. priorem enim causam non solam fuisse iam inde efficitur, quod lignea quoque signa et vel aenea sub arboribus collocabantur. saepissime igitur platanos electas invenimus, quae arbores ramis late expensis frondibusque densis quasi tecta statuas obumbrabant.[2])

cum autem negari non possit, statuas hoc modo tectas tempestatis inopportunitati multo minus expositas fuisse, tamen minime suffecisse haec tecta nemo non videt. remedia igitur adhibita a Graecis invenimus pervaria ad signa quam maxime conservanda,

---

[1]) ibid. II p. 605. cfr. Holm, gesch. Sic. I p. 293.

[2]) vid. Anthol. Pal. IX 314. — Philostr. v. s. II 1, 10. — Athen. XIII 598 f.

quae alia fuisse pro simulacri materia apparet. ac signa quidem lignea non raro minio obducta esse comperimus.[1]) velut Phigaliae in Liberi templo simulacrum eius exstabat ligneum, cuius inferiores partes conspici non poterant quia hederae et lauri densa fronde velabantur; quae autem in conspectu erant partes simulacri, cinnabaro has oblitas atque illuminatas cerneres.[2])

etiam alio deinde in simulacris his conservandis remedio usos esse Graecos ex Paus. IX 41, 7 discimus. Chaeroneae enim varia unguenta ex floribus coquendo confecta esse tradit: eo autem quod ex rosis fieret si lignea signa perungerentur, facile contra materiae tabem defendi posse.

praeterea hunc morem viguisse constat, ut tenuibus auri foliis simulacra lignea tegerentur: nam Liberi quidem signum Corinthi in templo ei dicatum praeter faciem totum inauratum, hanc autem colore rubro h. e. minio oblitam fuisse comperimus.[3]) itemque de Minervae signo acrolitho iudicandum videtur quod Aegirae vidit Pausanias[4]): hoc enim cum inauratum et coloribus (φαρμάκοις?) distinctum fuisse dicat, colores quidem ad faciem modo simulacri videntur pertinuisse. signa autem e cedro exsculpta quae Olympiae in Megarensium thesauro reposita erant, auro solo superinducto ornata fuisse Pausanias[5]) auctor est; idemque de Minervae simulacro Delphis statuto compertum habemus.[6]) quamquam hic quoque

[1]) minio signa etiam ex argilla facta oblita fuisse ex Plut. quaest. rom. (98) et Plinii h. n. (XXXV 43—45) discimus, quamquam hi de Jovis Capitolini simulacro verba faciunt. fictile enim hoc simulacrum miniari solebat; saepius vero oblinendum erat minium (quo vetusta signa oblini solita esse adiungitur), quia brevi tempore deflorebat. sed nescio, an in his quidem simulacris minium non tam conservandi quam ornandi causa additum sit.

ex omnibus autem quae allata sunt exemplis hoc effici videtur, sigilla hoc modo tincta non nisi in aedibus posita fuisse; neque id mirum, cum imbribus e. g. minium statim dissolutum et hoc modo signum pollutum esset.

[2]) Paus. VIII, 39, 6.

[3]) ibid. II, 2, 6.

[4]) ibid. VII, 26, 4.

[5]) ibid. VI, 19, 12.

[6]) ibid. X, 15, 5.

in maximam partem ornandi simulacri rationem habitam esse haud negaverim, non conservandi.

cave tamen putes, signa omnia lignea hoc modo ornata esse: plurima enim longe e puro ligno sine dubio exsculpta fuerunt. haec autem saepius pulvere atque sorde purgari opus erat, quod in deum matris simulacro aqua et cinere lixivio factum esse constat[1]); aquae modo aspersu herma purgari videtur in pictura quadam, quam vides in Müller-Wieseler. denkm. tab. I 4. signa denique in templis consecrata (cotidie?) orthapto purgari solebant, h. e. volumine quodam ex lana purpurea compresso, quo pulvis et sordes detergebatur.[2])

signis deinde ex marmore exsculptis quomodo consultum sit, non comperimus: haec autem flabello item, aut si nimia sorde affecta erant aqua emundata esse contendere non dubitamus.[3])

aerea autem signa vario modo conservare conati sunt Graeci. aera enim extersa si rubiginem celerius trahere a Plinio[4]) comperimus nisi oleo perungerentur, hunc morem in aeneis statuis purgandis adhibitum esse efficitur. eodem autem illo loco aera optime in liquida pice servari legimus simileque a Pausania discimus[5]), qui in stoa poecile scuta exstitisse aenea tradidit pice contra temporum iniurias oblita; usitatissimum autem ad signa aenea conservanda bitumen fuisse videtur.[6])

denique si summi pretii simulacrorum quae ex auro et ebore composita erant rationem habemus, in his quidem varias pro loci natura rationes adhibitas invenimus. in Jovis enim simulacro a Phidia exsculpto oleum propterea adhibebatur, quia prohibebat, ne quam e paludosa loci natura ebur contraheret noxam.[7]) at

---

[1]) Arnob. adversus gentes VII, 32.

[2]) Pollux VII, 69.

[3]) fortasse etiam nova interdum in iis circumlitio (γάνωσις, cf. Juvenal. 12, 88. — Vitruv. VII, 9, 4. — Plut. qu. rom. 98. — de glor. Ath. 6) adhibita est, aut candido colore (ut nostro fit tempore) nonnunquam haec signa tincta sunt.

[4]) hist. nat. XXXIV, 21.

[5]) Paus. I, 15, 4.

[6]) Plin. h. n. XXXV, 51.

[7]) Paus. V, 11, 10.

contra Athenarum in arce eminenti scilicet atque saxoso loco ebur ex quo factum erat Minervae signum non oleo sed aquae aspersu a sicci loci incommodis servabatur. Epidauri autem nulla omnino cura opus erat: Aesculapi enim simulacrum puteo ibi impositum erat atque ita humore ex aqua proveniente contra solis ardorem satis conservabatur.[1] idem fere Pellenae accidit[2]), ubi sub basi Minervae simulacri ex auro et elephante compositi adytum esse atque ex eo humidus efflari halitus ferebatur, qui ebori tuendo peridoneus esset.

quibus rebus praemissis iam qui homines statuis praepositi sint conservandis videamus; primumque de **cura publica** quae prodita sunt memoriae percensere iuvat. Philitae quidem tyrannicidae statuam a patriciis laesam reficiendam statim curasse Chios iam supra vidimus (p. 43). sed hac re minime erant contenti: decreverunt enim praeterea, ut viderent aediles (ἀγορανόμοι), ut statua in posterum ferrugine emundaretur (aenea igitur erat sine dubio) et in interluniis non modo sed etiam in ceteris diebus festis ornaretur, cum sumptus omnes uni ex aedilium numero a quaestore solverentur. purgandae autem in posterum statuae aediles consulere iubentur, sine dubio quia in foro statua erat erecta: tyrannicidarum enim signis hunc locum tantopere frequentatum praecipue convenire Harmodii et Aristogitonis docet exemplum.

accedit, quod ex alio quoque testimonio luce clarius efficitur, eos qui loco cuidam urbis praepositi erant magistratus statuis quoque illo ipso loco collocatis providere debuisse. narrat enim Cicero[3]) a Verre Mercurii simulacrum ex Tyndaris urbis gymnasio Messanam translatum esse, demoliendum autem hoc signum Demetrium curasse gymnasiarchum, quod is ei loco praeerat. statuis igitur in theatro positis θεατρώνης, in prytaneo collocatis ἀρχιπρύτανις etc. consulere debuerit.

Rhodi deinde urbis imperatori si statuam unamquamque alio nomine inscribendam eligere licuisse atque ita curam quandam

---

[1]) ibid. V, 11, 11.
[2]) ibid. VII, 27, 2.
[3]) in Verr. IV, 42.

statuarum ad eum delatam esse a Dione Chrysostomo[1]) discimus, cave tamen inde colligas, statuis quoque aut conservandis aut purgandis eum consuluisse: unus enim imperator providere huic rei ne minime quidem poterat, cum tot illo tempore Rhodi exstarent signa aenea atque in ceteris omnibus Graeciae urbibus, si Aristidi confidimus.[2]) etiam hic igitur qui loco alicui praeerant magistratus signorum in illo positorum rationem habuisse iudicamus.

singulare igitur est, si a Cyzicenis architecti tres constituti erant[3]), ad quos aedium publicarum instrumentorumque quae inerant cura delata erat: colligendum enim inde videtur, signa quoque illis locis posita curanda iis tradita esse.[4])

si deinde **locorum sacrorum** rationem habemus, statuis in iis collocatis interdum a republica provisum esse constat; sed hoc non nisi in magnificentissimis atque pretiosissimis simulacris factum esse videtur. velut memoriae hoc proditum est de Jovis simulacro illo ingenti Olympiae collocato. et Pausanias quidem auctor est[5]), certos modo ad hoc simulacrum pulvere atque sorde purgandum ab Eleis designatos esse viros φαιδυντὰς appellatos: nulli enim unquam ali nisi ex Phidiae posteris uni hoc munus commissum esse. quamquam autem Pausanias hoc loco hoc modo ab Eleis ad eos delatum esse officium ait, ut Jovis signum ἀπὸ τῶν προσιζανόντων καθαίρειν iis liceret, tamen oleo quoque quin ab iisdem simulacrum perfusum sit, dubium esse non potest, qua de re paulo ante exposuimus.[6])

---

[1]) or. XXXI pp. 594 — 605 — 637.

[2]) orat. XLIII p. 540.

[3]) Strab. p. 575.

[4]) Tarracone summi ordinis virum publice electum esse non taceo, qui divi Hadriani statuis consuleret conservandis (Friedl. sitteng. III p. 213); sed hoc quoque inusitatum fuisse nemo non videt. posteriori deinde aevo in provinciis curatoribus rerum publicarum cura statuarum imaginumque iniuncta fuisse videtur, cfr. Böcking notit. dign. II 1 p. 201.

[5]) Paus. V 14, 5.

[6]) quos phaedyntas non in exiguo honore a Graecis habitos esse iam inde colligas, quod Athenis in Liberi theatro certa iis sedes constituta erat (C. I. A. III 283). ali etiam e numero eorum statuam ab

ut Olympiae item Athenis φαιδυντὴν Διὸς Ὀλυμπίου ἐν ἄστει exstitisse ex attica discimus inscriptione sellae in Liberi theatro positae incisa. qui eodem ut videtur modo curare debebat Jovis Olympii signum, cuius templum Athenis Hadrianus atque simulacrum perficiendum curaverat, unde ex Hadriani demum temporibus hoc munus institutum esse apparet. quo de munere quamquam aliud nihil est traditum, tamen etiam huic officio certi curatores a republica electi praefecti esse videntur: quo autem ex genere, ignoramus.

Böckhius denique alium quoque huc referendum esse iudicavit titulum C. I. G. I 150, Athenis inter Parthenonis rudera repertum[1]); haec enim fere in adnotatione ad hanc inscriptionem facit verba: 'agitur (§ 39) de statua Minervae virginis, quam Phidias fecit. eius basin Ol. 95, 3 refecerat Aristocles. de variis hoc nomine artificibus dixi ad no. 23, ubi duos atticos docui Aristocles fuisse. alterum patrem, alterum filium Cleötae, qui Phidiae videtur adiutor fuisse. et minor ille Aristocles potuit Ol. 95, 3 superstes esse, si non iuvenis, at certe senex; igitur vide, ne ut Olympiae Phidiae posteri Phaedryntae dicti habuerunt ius statuae Jovis purgandae, ita hoc negotii Phidiae et Cleötae posteris Athenis datum fuerit, ut purgarent Parthenonis statuam et reficerent. et negotii illius designatio inesse videtur illi additamento: ὁ ἀπο[φαιδρυντ.]ής, etsi una littera brevius hoc supplementum est'. immo duabus: vocem enim hanc in titulis sine ρ littera scribi iam alii animadverterunt. nobis quidem nihil aliud nisi ἀποκαταστάτης (quamquam haec quoque vox brevior est) vel simile quoddam latere in illo additamento videtur, ut hoc quidem loco nemo alius sit significatus, nisi qui refecit basim artifex et de phaedynta cogitari omnino non possit. phaedynta autem huius simulacri item ut aliorum duorum quin re vera exstiterit, dubitari nihilominus non potest.[2])

hos autem phaedyntas ne quis ipsos simulacrum mundasse putet;

Eleis dicatam esse constat (archäol. z. 1877 p. 193 no. 100); alium vel archontis munere functum esse comperimus, vid. Keil in Philol. XXIII (1866) p. 213/14.

[1]) sed cfr. staatsh. II p. 260. de eodem hoc titulo egit Hirschfeld, tit. stat. p. 157 no. 4.

[2]) hoc enim luce clarius ex Paus. V 11, 10 apparet, quo de loco iam antea egimus p. 51. cfr. Bötticher, tekt. II p. 611.

ad tantae enim molis signa purganda magno hominum numero opus erat: phaedyntae igitur ipsi providisse modo videntur, ut nonnunquam sordes a simulacris removeretur.[1]) certa ad hoc tempora num constituta sint, ignoramus; plerumque autem praeclaris modo imminentibus diebus festis haec signa emundata esse probabile est; neque licet dubitare, quin ea de re item ut apud Romanos certae leges exstiterint.[2]) hoc enim negotium quam grave a Graecis iudicatum sit, inde elucet, quod qui Olympicum quidem curabant simulacrum phaedyntae semper priusquam hoc inciperent, Minervae Erganae sacra faciebant.[3])

hoc deinde loco commemoranda sunt, quae de quaestoribus Atheniensium comperta habemus. Athenis enim[4]) decem quotannis ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνᾶς per sortes publice dilecti sunt, unus ex unaquaque tribu, quos opes omnes, praecipue autem Minervae simulacrum signaque Victoriae curare oportebat. omnia autem haec praesente senatu et acceperunt et tradiderunt[5]), annoque peracto accurate quaecunque commissa iis erant et quae per casum aut iam antea aut cum ipsi munere fungerentur, violata erant, describere debebant.[6]) hos igitur signis quoque in templo positis consuluisse conservandis inde efficitur; Gilberto vero vel totam arcem quaeque inerant curanda iis tradita esse probabile videtur.[7]) cum autem anno a. Chr. 435 ceterorum quoque deorum opes in Parthenonis opisthodomo reponerentur, novi magistratus eodem modo iisdemque condicionibus dilecti sunt, qui item decem fuisse videntur et ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν vocabantur. saeculi deinde quarti initio Minervae ceterorumque deorum opes coniunctae et uni collegio decem quaestorum deditae sunt curandae: sed iam

---

[1]) accedit, quod ut supra vidimus (p. 52), nobilissimi interdum cives hoc officio functi sunt.

[2]) Orelli 2270.

[3]) Paus. V 14, 5.

[4]) inde ab anno 480 ut videtur.

[5]) Böckh, staatsh. I p. 220 — beil. III 7 — Bötticher tekt. II p. 611 — C. Curtius prgr. Lübeck 1877 p. 14.

[6]) non raro ea modo quae violata erant sola enumerari solebant; Köhler, ath. m. 1882 p. 369.

[7]) handb. der staatsaltert. p. 235.

385 anno rursus ταμίαι τῆς θεοῦ (h. e. Minervae) per se soli commemorantur.[1]) hos quoque quaestores, quippe qui summae dignitatis essent magistratus, statuas non ipsos emundasse sed consuluisse modo ut pulvere ac sorde saepius liberarentur nemo negabit.

plerumque autem non a republica magistratus publici electi sunt, qui signis loco sacro positis operam dare deberent. sed sacerdotes huic rei consuluisse constat. si primum de eius dei cui dicatum erat templum simulacro quaerimus, hoc quidem semper a phaedynta quodam qui vocabatur emundatum esse putamus. si enim Hesychius s. v. φαιδυντής exponit ὁ τὸ ἕδος[2]) τοῦ θεοῦ θεραπεύων, inde apparere nobis videtur, in maiore certe unoquoque templo hunc curatorem exstitisse: aliter enim scripsisset, si in paucis modo illis templis de quibus supra exposuimus phaedyntas signo consuluisse iudicasset.[3]) in minoribus vero templis sacerdotes ipsi sine dubio hoc munere functi sunt.[4]) hos autem curatores a sacerdote summo electos esse valde probabile videtur; et plerumque nullum aliud ad eos delatum fuisse negotium comperimus, nisi ut orthapto simulacra pulvere et sorde purgarent.[5]) dearum quidem simulacris non raro mulieres vel virgines, quae hoc munere fungerentur, electas esse putaveris, velut Athenis λουτρίδας sive πλυντρίδας exstitisse constat, δύο κόρας περὶ τὸ ἕδος τῆς Ἀθηνᾶς[6]); sed etiam κατανίπτης commemoratur, qui partes inferiores Minervae pepli sorde affectas abluere deberet.[7])

---

[1]) vid. ibidem p. 235.

[2]) vid. de hac voce quae exposuit M. Fränkel, de verbis potioribus etc. p. 24 sqq.

[3]) accedit, quod in aliis quoque templis phaedyntam exstitisse aliunde constat, cfr. Mommsen heortol. pp. 227—236 et Keil in Philol. 1866 p. 216.

[4]) A. Mommsen heortol. p. 227 et 236 primo quidem inferioris ordinis hos phaedyntas fuisse iudicat; vix recte: initio enim unumquemque sacerdotem ipsum etiam phaedyntae officia praestitisse puto. postea demum, cum in dies augerentur sacerdotis munera ad alium hoc officium minus grave delatum esse videtur.

[5]) Pollux VII, 69.

[6]) Poliadis intellege; cfr. Phot. p. 231.

[7]) Etym. M. p. 494.

sin autem simulacra illa ab alio nemine nisi a summo sacerdote tangi fas erat, hic sacerdos quin phaedyntae quoque munere functus sit, dubitari non potest. velut Aegii Junonis exstabat templum, cuius simulacrum nisi ei qui sacerdotio fungebatur mulieri aspicere nemini licebat[1]); itemque Sicyone Veneris fuisse templum comperimus[2]), in quod ingredi soli licuisset mulieri quae νεωκόρος vocabatur (h. e. aedituae, quae purgando templo consulere debebat) et virgini λουτροφόρῳ quae annuo-fungebatur sacerdotio.[3])

cum autem praecipue sacrum alicubi exstaret signum, hoc in adyto templi conservari solebat, cum aliud in cella consecratum esset[4]); hic igitur quoque quin sacerdos phaedyntae exsecutus sit officia dubitare non licet.

etiam alia deinde signa in templo collocata ut emundarentur quin sacerdos summus providerit, dubium esse vix potest. signa quidem in aede ipsa posita a neocoris qui vocabantur repurgata esse videntur (quo munere interdum sacerdotem summum ipsum functum esse modo vidimus), id quod apparet ex Euripidis Jone 177[5]); quae autem sub divo positae erant statuae, ab innumerabilibus illis servis emundabantur sine dubio, qui ἱερόδουλοι vocabantur et in templo ipso habitare solebant.[6])

interdum etiam insigne quoddam simulacrum uni sacerdoti commissum esse constat. in celeberrima enim illa inscriptione Andaniae reperta[7]) de fonte quodam agitur, prope quem Proserpinae simulacrum erat erectum, quod idem testatur Pausanias (IV, 33,4). et huius quidem fontis signique appositi cura ad Mnasistratum quendam per totam eius vitam delata erat, quem sacerdotem fuisse ex functionibus eius postea enumeratis apparet.

signis autem usque ad novissima Graeciae tempora diligenter

---

[1]) Paus. VII, 23, 9.
[2]) Paus. II, 10, 4.
[3]) plura eius rei exempla p. 37 commemorata sunt.
[4]) vid. Bött. tekt. II § 64, 5.
[5]) cfr. Bött. tekt. II p. 480.
[6]) μουσ. καὶ βιβλ. 1876 p. 47, 466 — Bött. l. l. p. 466 sqq.
[7]) Lebas II 326 a.

provisum esse ex Juliani imperatoris discimus epistula[1]), qui Ilii Hectoris statuam sacrificio modo peracto unguentis perfusam atque splendentem se vidisse testatur.

sacerdotes deinde illos hoc etiam curasse, ne loco simulacrum moveretur, vix est quod moneamus; plane autem hoc Herodotus testatur (I 183). Babylone enim in luco ad Jovis templum pertinente aureum fuisse simulacrum tradit duodecim cubitorum. Dareum quidem valde cupientem hoc signum auferre non ausum esse; Xerxem vero sustulisse illud atque sacerdotem vetantem necasse.

mirae denique hoc loco Graecorum consuetudinis mentionem facere nobis liceat. locis enim quibusdam in more erat, ut certi sacerdotes eligerentur, qui in constitutum tempus dei cuiusdam signum in suis ipsorum domibus conservare atque curare deberent.[2]) quem morem Messenae et Aegii viguisse a Pausania[3]) discimus; plura etiam de hac re ex titulo Mantineae reperto comperimus.[4]) agitur enim in eo de Nicippa sacerdote, quae et veste deam ornaverit et in domum suam simulacrum eius receperit, ut mos fuerit iis quaecunque sacerdotis munere fungerentur. hic autem mos an ad certorum modo simulacra pertinuerit deorum, ignoramus; Messenae quidem Jovis simulacrum traditum erat sacerdoti, Mantineae Proserpinae, Aegii Jovis et Herculis signa; nec mirum, si Jovis et Herculis signa viris, mulieri Proserpinae simulacrum commissum erat. anno vero peracto ad alium sacerdotem hic honor deferebatur.

pervenimus iam ad **privatos**, quos ex sua quemque voluntate signis suis providere potuisse non est quod demonstretur. pauperes quidem, qui et ipsi hermam certe deorumque patriorum simulacra possedebant, ipsos ea mundasse apparet[5]); ditiores autem huius generis negotia aut ad servos[6]) aut ad alios quosdam homines de-

---

[1]) Hermes IX 258.

[2]) cfr. Schömann gr. altert. II p. 434, et Thiersch, abhdl. d. Münchener akademie VIII p. 445.

[3]) Paus. IV, 33, 2 — VII, 24, 4.

[4]) Annuaire de l'association etc. IX p. 328.

[5]) nescio an huc vasculi quaedam pertineat pictura quam edidit Otto Jahn in archäol. z. 1867 tab. 225 no. 2.

[6]) cfr. C. I. L. II 2270: a statuis.

tulisse cum per se non dubium sit, tum titulo Calauriae reperto satis affirmatur.[1]) mulier enim quaedam cui Sopatriae nomen erat, ducentas drachmas Neptuno dicavit, unde hostia ei immolaretur in ara prope Sophanis mariti statuam posita. propterea quinque elegit curatores, qui et huic rei providerent et statuas purgarent columnasque eodem sine dubio loco positas quam pulcherrime coronis ornarent. vel a privatis igitur collegium interdum quoddam signo repurgando praepositum esse miramur. de simili titulo (Epictetae testamento) infra erit dicendum.

Ne autem quis ex iis quae adhuc exposuimus, colligat, semper a Graecis unicuique signo summa cum diligentia ac religione consultum esse, exempla quaedam tacenda non iudicavimus, ex quibus neglecta interdum valde signa esse comperimus. addimus autem, omnia illa quae nobis quidem nota sunt exempla (praeter minimas illas laesiones, quarum in quaestorum Minervae tabulis fit mentio) ad recentiora demum tempora pertinere Graeciae. si enim comperimus, ab Atheniensibus signa omnia quae cum urbs a Persis incensa esset, violata erant intacta relicta esse, ut in omne aevum testes essent sceleris barbarorum, hoc non e neglegentia sed de industria factum esse apparet. itemque de Herculis simulacro illo aeneo indicandum est, cuius et labra et mentum osculando contrita prorsus erant[2]) et de Veneris signo a Daedalo exsculpto, cuius dextera tempore deminuta erat[3]) nec non de Minervae simulacro a corvis violato[4]); rectam autem hanc nostram esse sententiam exemplo quoque illo Leucippidis comprobatur, cuius iam antea commemorandi potestas erat facta[5]): religione igitur quadam impediri sibi videbantur Graeci, ne sanctissimis his simulacris novas partes adjungerent.

at contra Ambryssi in foro marmorea permulta signa fracta iecisse neque quemquam rationem eorum habuisse Pausanias[6]) tra-

---

[1]) Rangabé ant. hell. 821 b.
[2]) Cic. in Verr. II 4, 43.
[3]) Paus. IX 40, 3.
[4]) ibid. X 15, 4?
[5]) Paus. III 16, 1; cfr. p. 45.
[6]) Paus. X 36, 4.

didit; sed forsitan ne hoc quidem neglegentiae sit tribuendum, cum multo iam antea valde depopulata illa urbs fuisse videatur.

Lucianus deinde in pretiosissimis illis colossis ex auro atque ebore compositis totos murium greges rempublicam habuisse auctor est[1]; Plinium autem narrantem audimus, herbam in capite statuae natam collectamque alicuius in vestis pannum et inligatam lino rufo capitis dolorem confestim sedare tradi.[2]) novissimi etiam aevi exemplum afferre liceat. Gyciae enim Lamachi filiae Chersi in platea urbis (quam bello servaverat) aeneae duae statuae erant erectae.[3]) sin autem quis honesti amantior eo tempore cupiebat iudicari, basim quandocunque purgabat, ut legi posset, quantum de patria haec virgo esset merita: magistratus igitur publici providisse huic rei non iam videntur illis temporibus.

laesionem denique subito in statua quadam ortam infelix a Graecis iudicatum esse omen adiungimus. mortem enim Lysandri significari putabant, cum in capite statuae eius Delphis collocatae acanthus repente cresceret et velut corona frontem signi cingeret.[4])

III.

Statuae quomodo ornatae et quibus aliis honoribus affectae sint.

Paucis quae modo attulimus exemplis satis comprobatur, plerumque et praecipue priscis temporibus signa omnia summa cum diligentia conservata esse. quod idem multo magis inde apparet, quod nunquam fere satis videbatur Graecis, ita modo signis consuluisse, ut modice conservarentur, ut persaepe coronis vel aliis ornamentis ea cingerent quantumque possent in honore haberent. et praecipue quidem deorum simulacra eius arboris foliis et ramis

---

1) Jup. trag. 8 — gallus 24. cfr. Arnob. adv. g. VI 16.

2) h. n. XXIV 106. cfr. Athen. XV 681 e.

3) Const. Porphyrog. de adm. imperio 53.

4) Cic. de divin. 32. cfr. Paus. X 15, 5 — Plut. de Pyth. or. 3 — Sueton. Vitell. 9.

ornata sunt, quae sacra iis erat[1]; tantum autem abest, ut semper hoc factum sit, ut vel hominum signa hoc honore affecta esse constet. in tertia igitur hac parte et de variis ornamentis et de aliis qui tributi sunt signis honoribus exponere in animo habemus.

et publice quidem statuis ornandis quomodo provisum sit ex inscriptione illa Chii reperta[2] discimus, de qua iam antea pluribus diximus. iubentur enim in ea aediles in interluniis ceterisque diebus festis Philitae signo (in foro nisi fallor collocato) coronando consulere. qua de causa nescio an abhorreat a vero, si unumquemque magistratum signorum eo cui praeerat loco positorum rationem hoc modo habuisse contendimus.[3]

multo autem maior honor a Stratonicensibus deorum duorum simulacris tributus est.[4] cum enim a Jove Panhemerio atque ab Hecate dea in summo rerum discrimine urbs conservata esset, decretum est, ut triginta nobilissimorum ex urbe liberorum eligerentur, qui quotidie pulcherrimis coronis ornati paedonomo duce simulacra deorum in curia collocata adirent et adstante praecone atque citharista concinente hymnis deos celebrarent.

statuas deinde publico loco positas a privatis quoque interdum ornatas esse probabile videtur; et nobis quidem non dubium est, quin hominis bene de republica meriti ideoque publice statuti signum cum in die eius natali tum in aliis familiae diebus festis a cognatis vel amicis honorati non raro quam pulcherrime ornatum sit. qua de causa C. I. G. II 3417 titulum memoratu dignum huc referre non dubitamus. Diogeni enim cuidam a senatu populoque statua erat Philadelphiae dicata; is autem (ex testamento intellege) senatui denarios 2500 et presbyterorum synedrio 1500 deposuerat, atque constituerat, ut usurae inde provenientes iis quo-

---

1) hoc apparere videtur ex Artemid. II 34: τοῖς προσήκουσι καὶ νενομισμένοις ἄνθεσι καὶ κλάδοις. cfr. Clem. Alex. Paedag. II. p. 181 C. ed. Sylb. et Paschal. de coron. p. 201 et 204.

2) acta m. acad. Berol. 1863 p. 265.

3) certe autem ne in festis quidem diebus omnes ornatae sunt statuae, sed aut deorum modo sine dubio signa aut hominum prae ceteris de republica meritorum: sic enim omnino intellegi potest, quod in titulo nostro mentio omnino fit huius rei.

4) C. I. G. II 2715a.

tannis distribuerentur, qui in die ipsius natali ad statuam eius convenissent. hoc autem die quin a senatoribus et presbyteris laetis signum Diogenis pulcherrime ornatum sit, quis est qui dubitet?

cum igitur inde statuendum videatur, cognatorum vel amicorum statuis publice positis privatos non raro operam dedisse ornandis, singulare prorsus iudicandum est exemplum quod Aelianus in variae historiae l. IX 39 prodidit memoriae. nobilis enim iuvenis Atheniensis gravissimo Bonae Fortunae simulacri affectus est amore ad prytaneum collocati. cum autem ut acciperet illud a senatu nullo modo posset impetrare, taeniis multis signum et coronis cingens ornatumque pretiosissimum ei adhaerens sacra fecit atque innumerabiles profundens lacrimas illo ipso loco voluntariam mortem oppetivit.

ita cum quae de cura statuarum locis publicis positarum prodita sunt memoriae commemoravimus, iam signis loco sacro statutis qui consultum sit videamus. et his quidem semper fere sacerdotes consuluisse res ipsa docet; sed certis quoque de hac re utimur testimoniis. nobis enim huc pertinere videtur vasculi quaedam pictura, quam vides in Müller-Wieseler. alte denkm. tab. I 4. nam quamquam ex amphoris quas ministrae duae apportant de mundando etiam hic simulacro agi Wieselerus contendit, virum tamen signo adstantem hoc non tam emundaturum quam uvis ornaturum esse ex pictura magis accurata apparere idem adjungit.[1]) ad dexteram autem simulacri partem mulier picta est pretiosas vestes induta (unde sacerdotem eam esse sacroque loco rem agi colligas), quae ramum virentem manu gestat, quo inferiorem hermae partem cincturam eam esse Brunnius iudicat.[2]) signa autem hoc modo praecipue diebus festis et sine ulla dubitatione tum inprimis ornata sunt, cum circa signum ipsum festum ageretur, quem morem Caryis viguisse a Pausania[3]) discimus. eximii autem prorsus honores ad Ptolemaeum Epiphanem ab Aegypti totius sacerdotibus delati sunt[4]), qui in omnibus Aegypti templis signa ei dedicare constituerunt. hoc autem non satis visum: decretum enim

[1]) vid. Campana, ant. opp. in plastica II t. 44.

[2]) cfr. Bött. tekt. II § 61, 10 p. 572.

[3]) Paus. III 8, 7. vid. Gerhard, akad. abhdl. I, 246 et tab. 25, 13. — Herod. V 83.

[4]) C. I. G. III 4697.

praeterea est, ut statuas has ter per diem sacerdotes ornarent sacrumque ornatum adicerent aliaque quae ex ritu essent, perficerent, ut item aliis dis cum festi celebrarentur dies fieret. honores igitur qui festis modo diebus simulacris deorum tribui solebant, ad hunc regem quotidie delatos esse comperimus.[1]

pecuniae autem ad ornanda deorum simulacra necessariae quin ex templi aerario solutae sint[2], vix dubium esse debet. sic enim intellegi potest, si in titulo quodam[3]) Tryphon, qui per totam vitam sacerdos fuerat Liberi primum se dei simulacrum de sua ornasse pecunia gloriatur: plerumque enim ex templi aerario hos sumptus solvere sacerdotes solebant.[4]

Praeter coronas deinde et taenias non raro vestes quoque aliave velamenta ad ornanda deorum simulacra adhibita esse comperimus. et semper fere signa lignea hoc modo ornata esse videntur, maximeque cum ne hominum quidem similia essent sed ligna modo indolata.[5] vestimentis enim his opus videbatur Graecis, ut hac quidem ratione ad hominis similitudinem accederent haec simulacra. hunc autem morem ex arborum cultu ortum esse elucet et plerumque propterea in agro eum viguisse constat, ubi diutissime re-

---

[1]) cum igitur festis quidem diebus plerumque eximio modo ornata esse deorum simulacra inde discamus, singularem tamen hoc loco Arcadum morem non tacemus. in sollemni enim quod in Panos celebrabatur honorem, ephebi signum eius scillis caedere solebant, si aut venatio parum frequens nec varia fuerat aut choragi aut quicunque providebant dapibus minores iis attribuerant partes (Theocrit. VII 107 cum schol.). hoc igitur modo ut in posterum magis iis faveret deus assequi voluerunt.

saepius omnino in dei malevoli simulacrum non eximia cum diligentia consultum esse ex Babrii fab. 119 discimus; cfr. Friedl. sitteng. III p. 556/7 et Schömann gr. alt. II p. 188.

[2]) vid. Böckh staatsh. I pp. 207, 210, 217, 414(a), 444, 519. II 94.

[3]) C. I. G. IV 6829.

[4]) itemque de sua pecunia Callithoe sacerdos Junonis columnam στέμμασι καὶ θυσάνοισι ornasse videtur, quamquam plane hoc non dictum est ab Hellanico, cfr. Clem. Al. Strom. I p. 151 = Kinkel fr. ep. I p. 211. videatur etiam Annuaire etc. IX p. 328.

[5]) Bött. tekt. II § 39, 5.

ligiones priscae conservatae sunt. Maximus enim Tyrius[1]) suis etiam temporibus agricolis in more fuisse tradit, ut vigentis arboris truncum in Liberi simulacri modum vestirent atque ornarent; in Proserpinae autem sacris caesa arbor in effigiem virginis formamque componi et quadraginta noctibus plangi, quadragesima comburi solebat.[2]) pulcherrima quidem eius generis simulacra in vasorum quoque picturis servata nobis sunt, quas collegit C. Bötticher in libro qui inscribitur „baumkult. der Hellenen“.[3])

sed permulta etiam signa in templis collocata hoc modo ornata esse compertum habemus. Jovis quidem signum Syracusis veste ornatum fuisse ex Aeliano[4]) efficitur idemque de Junonis Samiae simulacro Lactantius testatur.[5]) Titanae autem Aesculapi et fanum et signum erat, cuius sola facies et manus et imi pedes conspici poterant; ceterae enim partes lanea tunica alba et pallio erant velata.[6]) eodemque fere habitu Hygiae erat signum: velatum enim undecunque erat, partim comis quas deae mulieres detonderant, partim vero babyloniae vestis laciniis. itemque Athenis Ilithyiae signum ornatum fuisse legimus[7]); sin autem addit Pausanias, solos omnium Athenienses deae signum usque ad imos pedes velasse, sibi ipsi repugnat: Aegii enim eiusdem deae signum a vertice ad calcem tenui carbaso velatum praeter os summas manus et pedes (quae partes ex marmore pentelico essent sculptae) se vidisse ad verbum idem prodidit.[8]) Apollinem vero a solis Syris veste velatum esse ex Pseudoluciani dea Syria (36) discimus.

quin etiam aenea signa vestimentis induta esse comperimus: Neptuni enim (vel Satrapae ut Elei aiebant) signum aeneum loco urbis maxime frequentato erectum tribus ornatum erat vestibus et lanea et lintea et byssina.[9]) nunquam nisi fallor simulacra mar-

---

[1]) dissert. VIII 1.

[2]) Jul. Firm. de errore prof. relig. 27 B.

[3]) figg. 42—43a, b — 44; cfr. p. 103 sqq.

[4]) var. h. I 20.

[5]) inst. I 17.

[6]) Pausan. II 11, 6.

[7]) ibid. I 18, 5.

[8]) ibid. VII 23, 5.

[9]) ibid. VI 25, 5.

morea: Cereris enim quod Burae erat signum ligneum sine dubio erat, quamquam aliud ex Pausaniae verbis colligere possis.[1])

has autem vestes temporibus certis emundatas aut alias in locum priorum suffectas esse pro certo potest affirmari.[2]) iam antea enim κατανίπτην commemoravimus, qui Athenis Minervae pepli partes inferiores sorde affectas abluere debebat; eandemque deam quotannis[3]) novo peplo ornatam esse quis est qui nesciat? Capitolinis vero dis vel certos propterea servos tributos esse a Romanis Augustinus nos docet.[4]) apud Graecos autem in dearum praecipue signis quam pervulgatus hic mos fuerit, statim exponemus.

restat enim, ut paucis de pompis sacris quae prodita sint memoriae videamus. locis quibusdam in more fuisse comperimus, ut certis temporibus pompae perigerentur, in quibus dearum simulacra lignea ad aquam emundandi causa deportabantur. hac autem in lustratione cum eius rei rationem habitam esse, ut sorde simulacrum expurgaretur, tum ut denuo consecraretur, vix quisquam negaverit. putabant enim Graeci, ex unoquoque simulacro consecrato numen discedere cum ab homine impuro tactum aut conspectum modo esset; hac etiam causa sine dubio moti sunt, ut in aediculis primum, tum in templis magnis consecrata deorum simulacra reponerent, quo minus illa profanari possent.[5]) si igitur simulacrum quoddam in templo consecratum graviter contaminatum erat[6]), nova consecratione opus esse putabatur, id

---

[1]) ibid. VII 25, 9.

[2]) vel de aureo Minervae simulacri pallio confirmari hoc posse videtur, quod non detrahi modo simulacro sed in singulas etiam dissolvi partes poterat. ex attico autem titulo Athenocli quondam toreutae ab Athenaeo (XI 781 E) commemorato traditum hoc esse Böckhius ingeniose collegit; vid. quae in staatsh. II p. 228 sqq. de hoc pallio exposuit.

[3]) cfr. Schömann alt. II p. 471, Bött. tekt. II p. 569.

[4]) de civit. dei VI 10.

[5]) quamquam in sanctissimis simulacris ne hoc quidem sufficiebat, maximeque in dearum signis multo etiam maiorem curam adhibitam invenimus; vid. p. 37.

[6]) leviter enim modo maculatum in templo ipso aquae aspersu lustratum esse videtur, Bött. tekt. II p. 555.

quod e. g. de Dianae Tauricae simulacro memoriae proditum est[1]): hoc enim profanatum, cum Orestes et Pylades oculos in id convertissent, ab Iphigenia secreto in mari repurgatum est, cum a Thoante templum denuo lustraretur. quin etiam si animadvertente nemine profanatum valde erat simulacrum, hoc per se ex templo discedere maculamque abluere putabatur.[2]) praeterea autem dearum quarundam signa quotannis tempore constituto lustrari hoc modo solebant, quia numen earum certo anni tempore discedere ex simulacro putabatur, ea de causa, quod dea ipsa eodem hoc tempore maestu gravi affecta erat.[3]) templum autem propterea claŭdebatur, aedicula signi velis tegebatur[4]), simulacrum vero ipsum educebatur et aqua sub divo mundabatur: sacraque non prius moveri poterant, quam et templum lustratum deaeque signum denuo consecratum et in templum sacra pompa reductum esset.

quae de his pompis tradita sunt nobis, iam C. Bötticher diligentissime collegit; satis igitur erit, unius mentionem fecisse pompae ab Argivis in Palladis honorem celebratae, quam Callimachus in celeberrimo illo hymno descripsit. et simulacrum quidem huius deae stata quadam anni die sollemni pompa in curru[5]) ab equis vecto impositum et ad Inachum flumen latum est. equos autem anteibant nobilissimae urbis filiae, clipeum portantes Diomedis, quem ille deae quondam in eo dicaverat templo, quod ipse pro tot beneficiis Minervae aedificandum curaverat.[6]) signum deinde deae veste exutum et in Inacho flumine mundatum est; simulacrum autem hoc nudum tantum abest ut profanis aspicere licuerit, ut ne virginibus quidem quae pompae intererant sed summae modo sacerdoti hoc licuisse videatur.[7]) eademque de causa die illo aquam ex Inacho haurire non fas erat, sed ex Amymone modo aut Physadea fontibus. cum autem rite ablutum esset simulacrum atque indutum a summa sine dubio sacerdote, a nobilissimorum

[1]) Eurip. Iph. 1177.
[2]) Bött. tekt. II § 60, 2.
[3]) ibid. p. 553.
[4]) ibid. p. 443.
[5]) quem pictum vides apud Spanh. in Callim. hymn. p. 533 et Rawlinson Herodot. II 63.
[6]) Pausan. II 24, 2.
[7]) vid. du Theil in mém. de l'acad. XXXIX, p. 242.

deinde Argivorum mulieribus quae Gerarades[1]) vocabantur, vario modo ornatum est. genae enim eius minio inducebantur; cumque oleum pectenque ad crinem pectendum a Callimacho commemoretur[2]), hoc modo quotannis restitutum esse simulacrum illud videtur. de ceteris quae ab hac minime differunt pompis videatur Bötticher in libro qui inscribitur, tektonik der Hellenen, II[3]); nos quidem celeberrima modo illa Daedala commemoramus, quae gravissime ab his pompis differebant. in memoriam enim fabulae quae legitur apud Pausaniam[4]) sexto quoque anno a Plataeensibus parva Daedala celebrata sunt; sexagesimo autem ab omnibus Boeotis magna celebrabantur Daedala hoc modo. simulacra in parvis Daedalis miro modo comparata[5]) quaternadena deprompserunt et sortitae inter se octo Boeotiae civitates sustulerunt; simulacris deinde ad Asopi ripas ornatis atque in curru impositis muliebrem pronubam addiderunt, tum rursus sortitae quo quisque populus loco pompam ipse traduceret, plaustra a flumine in summum Cithaeronis verticem agebant, ubi ara lignea in ipso montis iugo parata erat. Plataeae autem quattuordecim signa cum vaccis et tauris aliisque hostiis Jovi et Junoni mactatis arae imposita et tum ara ipsa omniaque quae inerant combusta sunt.

cum autem hae pompae quarum modo mentionem fecimus, ad mare vel ad fontem omnes dirigerentur, alia signa etiam in templa ducta esse comperimus; plurimae autem huius generis pompae ad Liberum pertinent. velut Athenis prope Academiam non ita magnum erat templum, in quod quotannis certis diebus Liberi Eleutherei simulacrum portatum esse Pausanias tradidit.[6]) idemque fere Patris accidit. ibi enim in cista Liberi Aesymnetae conservabatur simulacrum, quod ex Troia deportatum esse ferebatur, cui conservando optimi novem urbis viri totidemque mulieres eligebantur. certa autem nocte a sacerdote cista illa ex templo educebatur; tum vero priscis quidem temporibus pueri eo conveniebant spiceis

---

1) Bekker, anecd. 231,30.
2) hymn. V 29 sqq.
3) pp. 554, 556, 557 et maxime 558—578; cfr. Lucian. de dea Syria 13 — 33 — 39 — 40.
4) Pausan. IX 3, 1 seqq.
5) ibid. § 4.
6) Pausan. I 29, 2.

ornati coronis; Pausaniae[1]) autem temporibus coronas illas ante dei signum deponebant et loti in fluvio iterumque sed hedera coronati ad Aesymnetae templum accedebant.[2]) eademque in urbe lucus erat Libero sacer, in quo tria eius exstabant signa[3]), quae constitutis diebus in Liberi Aesymnetae templum deferebantur.[4]) simile Sicyone quoque actum esse constat.[5]) ibi enim κοσμητήριον erat secretum (h. e. cella ornatoria), ex quo stata nocte signa quaedam in Liberi templum educebant Sicyonii; faces autem his accensas praeferebant patriisque cantibus pompam persequebantur. pompae veluti dux erat quem Bacchum nominabant ab Androdamante Phliantis filio dicatus; tum portabatur, cui Lysios nomen erat, quem Pythiae monitu Phanes Thebis Sicyonem transtulisse ferebatur.

sed non Liberi unius signa hoc honore affecta sunt: Mesoae enim Dianae Limnatidis simulacrum exstabat ligneum, quod antea Lacedaemonii possederant, tum autem a Preugenė subveniente servo quodam fidelissimo ex visu iis ereptum et Mesoam deportatum erat.[6]) idemque hoc signum in die Dianae festo a servo deae in priscum Patrarum urbis lucum deducebatur comitante sine dubio magno incolarum numero. similique ratione certis diebus Proserpinae signum ligneum ex Helo urbe in Cereris Eleusiniae templum in iugo Taygeti situm deferebatur.[7])

interdum etiam ad arborem pompam directam esse compertum habemus. Tyrrheni enim quondam ex Junonis templo Sami exstructo simulacrum deae eripuisse ferebantur; hoc autem cum tam grave fieret, ut navem illi movere non possent, in insulam rursus retulerunt. Samii interea qui quaererent signum emiserant: hi autem cum reperissent simulacrum, salici apposuerunt totumque ramis texerunt, ultro signum huc migrasse iudicantes; Admete vero sacerdos cum veram intellexisset causam in templum illud reduxit et denuo consecravit. ex illo autem tempore sollemne Sami cele-

---

[1]) vel auctoris ex cuius opere hoc descripsit.
[2]) Pausan. VII 20, 1.
[3]) totidem ut veteres urbes, unde pervetustum fuisse hunc cultum apparet.
[4]) Paus. VII 21, 6.
[5]) Paus. II 7, 5.
[6]) Pausan. VII 20, 8.
[7]) Pausan. III 20, 7.

brabatur, in quo simulacrum ad arborem prope mare sitam deferebatur et inde salicis ramis ornatum ferculoque saligneo impositum in templum reportabatur.[1])

singulare prorsus est, si vel hominis signum in huiusmodi pompis deducebatur atque hoc uni Ptolemaeo Epiphani contigisse memoriae est proditum.[2]) cui regi qui honores a totius Aegypti sacerdotibus tributi sint, iam antea licuit exponere. accedebat, quod in unoquoque templo signum etiam ligneum aurea aedicula inclusum erigere eidem decretum est, quod in adyto poneretur una cum eius dei cui fanum dicatum esset simulacro; in celeberrimis autem illis panegyribus, cum hae aediculae efferrentur, regis quoque aediculam una cum iis educendam esse iisdem placuit.

denique pompas duas insignissimas verbo quidem tangere nobis liceat, quae non cum dei cuiusdam cultu coniunctae erant et ad sacrum nullum pertinebant locum sed ad ludos eo magis celebrandos institutae erant. alteram quidem ab Antiocho Epiphane actam esse ex Athenaeo[3]) discimus in ludis, quos Daphnae prope Antiochiam ille instituerat. et in hac quidem omnium quos venerarentur homines deorum et daemonum, quin etiam heroum signa circumferebantur, alia inaurata, alia vestibus inauratis ornata.[4]) alteram autem ad celebrandos ludos quinquennales Alexandriae instituit Ptolemaeus Philadelphus.[5]) in qua Liberum cerneres in tetracyclo positum et aurea corona ornatum, qui ad Rheae perfugerat aram cum Juno eum persequeretur, et prope eum Priapum et ipsum aurea cinctum corona. non multum autem aberant Ptolemaei et Alexandri regum statuae et hae coronatae; iuxta Ptolemaeum autem Virtutis et Priapi[6]) simulacra videbantur coronis ornata Corinthique urbis statua. hos deinde alii sequebantur tetracycli[7]), qui non regum modo sed deorum etiam permulta sustinebant simulacra; post omnes autem[8]) Alexandri signum aureum in curru vehebatur, cuius ad latera Victoriae atque Minervae signa apposita erant.

---

[1]) Athen. XV 672; cf. Bött. baumkult. p. 29.
[2]) C. I. G. III 4697.
[3]) Athen. V p. 194 C. sqq.
[4]) Athen. V p. 195 A.
[5]) Athen. V p. 201 sqq. cfr. Manso, verm. schr. II p. 342 sqq.
[6]) qua de causa exposuit Bötticher baumk. p. 64.
[7]) Athen. V p. 201 F.
[8]) Athen. V p. 202 A.

redimus ad signa locis sacris collocata. cum igitur antea praecipue sacerdotes consuluisse his signis viderimus, tamen a privatis quoque non raro pulcherrime ea ornata esse comperimus, quamquam haec cura plerumque non nisi ad signa (in templis) consecrata pertinuisse videtur. vituperat enim graviter paganos Lactantius[1]), quod cum metus eos deseruisset et pericula remota essent, tum alacres ad deorum concurrerent templa et his libarent atque sacrificarent eorumque simulacra coronis ornarent. semper igitur, si boni quid alicui evenerat vel periculum ab eo remotum erat, ita gratiam ei a quo donatus vel conservatus esse iudicaret deo retulisse videtur, ut quam pulcherrime simulacrum eius coronis et floribus ornaret atque sacra ei faceret.[2])

hac autem cura plerumque ut diximus simulacra modo (in templis) consecrata affecta esse videntur. singulare enim est iudicandum, si vel hominum statuas hoc modo ornatas esse legimus. tradidit enim Pausanias[3]) Achaeorum primum Oebotam Olympiae victoriam reportasse; cum autem nullus ei a civibus honor tributus esset, exsecratum eum esse omnes Achaeos, ne cui unquam eorum contingeret, ut palmam Olympiae nancisceretur. qua exsecratione motos statuam ei Olympiae dicasse Achaeos; atque ex eo tempore in more fuisse comperimus, ut a victoribus eorum non coronis cingeretur modo hoc signum sed etiam sacra fierent in honorem Oebotae.

privatorum vero statuas a cognatis amicisve sacro loco dedicatas certis quoque diebus ab his ornatas esse exemplo demonstrare nullo possumus; tamen hoc adeo est verisimile, ut testimonio vix opus esse videatur.

restat denique, ut signis loco **privato** statutis qui consultum sit explicemus. primum quidem si de signis in agro positis quaerimus, similia iam p. 63 attigimus, ubi de truncis in Liberi Proserpinaeque formam in sollemnibus deorum vestitis atque ornatis fecimus verba. in diebus omnino festis et cum ad privatos modo pertinerent et cum ab universa celebrarentur republica omnia, praecipue autem deorum simulacra pulcherrime ornata esse adeo respondet Graecorum religioni, ut de ea re vix liceat dubitare.

[1]) institut. II 1.
[2]) simile legis apud Arnob. adv. pag. VII 32.
[3]) Pausan. VII 17, 6 — 13 — 14.

neque hoc satis: quin etiam sacella aut simulacra deorum in via posita ab unoquoque praetereuntium helenio atque astere micante ornari solita esse Nicandri utimur testimonio.[1]) maxime autem cum prospere aliquid evenisset agricolae ornare deorum simulacra solebat, velut saepius pastores Nympharum simulacra in antro posita hoc honore affecisse a Longo[2]) discimus. interdum quidem aedicula modo vel basis signi taeniis et coronis cingebatur[3]); nec raro si cum arbore coniunctum erat signum, non hoc ipsum sed arborem ornatam esse comperimus[4]); velut Arnobius nuper simulacra deorum veternosis in arboribus taeniis veneratum se esse confitetur.[5])

in urbe deinde quin minorem vix deorum rationem habuerint privati nemo dubitabit. nam hic quoque non modo cum a familia quadam sed etiam cum ab universa republica dies agerentur festi signis quam pulcherrime ornandis provisum esse elucet[6]); nec praeterea, cum prospere iis aliquid contigisset, deorum eos simulacra neglexisse censueris.[7]) velut hermas in gymnasiis positos saepissime a iuvenibus hyacinthorum, violarum, amaraci coronis cinctos esse Nicias nos docet poeta.[8]) sin autem plura huius generis memoriae non sunt prodita, hoc nemo mirabitur, quia tam usitata atque vulgata haec signorum cura erat, ut ne verbo quidem digna iudicaretur. singularia modo religionis quaedam exempla accepimus. Lacedaemone quidem in Aristonis regis domo Astrabacae herois a quo originem duxit familia sacellum et simulacrum infuisse Herodotus[9]) auctor est, cui coronis cotidie ornato sacra cotidiana fierent. Xenocratem deinde comperimus philosophum hermae in aula domus suae posito cotidie cum advesperasceret coronam imposuisse. cum autem Dionysius quondam tyrannus festo quodam die ei qui

---

[1]) apud Athen. XV 684 D.

[2]) cap. 1 in fine et saepius.

[3]) vid. Bött. baumkult. figg. 20—32—33.

[4]) vid. Bött. baumkult. fig. 12.

[5]) cfr. Bött. ibid. p. 43.

[6]) apud Romanos vel servum a statuis exstitisse constat, qui signis cum conservandis tum certis quoque diebus ornandis providisse videtur, cfr. C. I. L. VI 2270. — cfr. C. I. G. II 3067.

[7]) vid. Juvenal. XII 88. nescio, an huc quoque pictura quaedam pertineat, de qua cfr. Brunn, beschr. d. glypt. No. 136 et Kekulé, die balustrade d. t. d. Athena Nike p. 30, tab. III n.

[8]) Anthol. Planud. 188.

[9]) Herod. VI 69.

primus vini poculum epotaturus fuisset, coronam se auream dono daturum pollicitus esset atque Xenocrati hoc contigisset, corona hac aurea hermam illum ornavit.[1]) Theophrastus autem in characteribus[2]) valde irridet superstitiosissimis illis hominibus, qui per totum diem coronis cingerent Hermaphroditarum simulacra.[3]) simile a Luciano discimus[4]), quamquam hic non de deorum sed de hominum statuis verba facit. in Eucratis enim Atheniensis vehementer superstitiosi domo statuas complures collocatas fuisse auctor est, in his Pellichi imperatoris Corinthii. cui taenias imposuerat et coronas Eucrates pectusque foliis ornaverat inauratis[5]); miraculosam enim huic signo vim inesse atque ex tertia febre ab eo servatus esse putabat. idem Hippocratis quoque possedebat statuam, cui quotannis sacra facere solebat.[6])

hominum igitur statuas cum iam ex his exemplis summo interdum honore a privatis affectas esse constet, tum graviora etiam servata nobis sunt testimonia, quo in numero Liberi quoddam artificum decretum imprimis est referendum.[7]) Cratoni enim, homini optime de iis merito deorum fere similes tribuerunt honores. tres quidem positae ei sunt statuae, una Tei in theatro: ludorum autem qui quoque anno electi essent institutores[8]) et in festis diebus et cum Dionysia vel alii ludi a Teis celebrarentur, Cratonis hanc statuam corona quae ex lege esset ornare debebant. et aliam quoque statuam in Delo insula dicatam ab artificum collegio corona cingendam fuisse legimus in eodem hoc decreto. neque hoc honore erant contenti: postea enim ab iisdem decretum est, ut prope statuam eius in theatro positam in pompis festisque diebus tripus apponeretur et tus accenderetur[9]); omnibus autem his rebus item ludorum institutori providendum fuisse comperimus.

---

1) Athen. p. 437 B. — Aelian. var. h. II 41.
2) cap. 16. cfr. Babrius fab. 119 ed. Lachmann. de privato: σπένδων δὲ τούτῳ καὶ καθ'ἡμέραν θύων (Ἑρμῇ).
3) conf. Chr. Petersen, zeitschrift für altertumswissenschaft 1851 p. 104.
4) Philopseud. 18.
5) de his foliis (πετάλοις) cfr. ἐφημ. ἀρχ. I 9 l. 35 et Rangabé ant. hell. 835 l. 8—11.
6) Lucian. l. l. 21.
7) C. I. G. II 3067.
8) ibid. v. 28.
9) C. I. G. II 3068.

hos autem honores extraordinarios fuisse nemo non intellegit: plerumque enim sufficiebat sine dubio privatis, cognatorum aut quae alia possiderent hominum signa festis diebus emundasse atque ornasse. sin maiores qui cuperent honores, plane hi posteris praescribendi erant. quod ex singulari illo testamento ab Epicteta Phoenicis uxore conscripto discimus.[1]) haec enim et ipsi et Phoenici marito filiisque item duobus iam antea mortuis statuas perficiendas atque in Museo (quod ipsa iussu coniugis perfecerat) collocandas curaverat. in testamento autem a cognatis petiit, ut quotannis mense Delphinio in Museum convenirent; cognatorum autem huic sodalitio usuras trium milium drachmarum reddi iussit drachmis ducentis decem pendendis ab iis, qui in locum ipsius successissent.[2]) tres deinde ex iis constituendi erant viri, singuli pro singulis diebus: die enim mensis uniuscuiusque undevicesimo Musis, die vicesimo Phoenici et Epictetae ipsi, die vicesimo altero filiis sacra facienda et ab iisdem illis cognatis tribus his ipsis diebus signa omnia coronis ornanda erant. omnia autem haec ut ex testamento fierent qui provideret ἐπίσσοφον eligendum fuisse comperimus.

Respicientes igitur ad ea, quae in altera hac parte quaestionis nostrae exposuimus, plerumque summa cum diligentia providisse statuis et reficiendis et purgandis et ornandis vidimus Graecos. publicisque signis publicos quoque ut natura fert consuluisse magistratus demonstravimus, sacris sacerdotes; interdum autem etiam a republica statuarum loco sacro positarum rationem habitam esse itidemque non raro privatos signis et sacro et publico profano loco statutis operam dedisse invenimus.

privatos denique prout ipsis placeret providisse his rebus exposuimus, cum aut ipsi huic muneri praeessent aut collegium interdum instituerent, quod et purgando et ornando signo cuidam consulere deberet.

Addenda.

ad. p. 39 l. 3: cfr. etiam archäol. epigr. mitt. aus Oesterreich VII p. 142, No. 2.

ad p. 46 not. 4: vid. etiam Newton, discov. at Halic. II, 1, p. 331 et II, 2 p. 391.

ad p. 47 l. 4: post „animalibus' adde: aut casu quodam inopinato.

---

1) C. I. G. II 2448.

2) ibid. vers. 30 sqq.